DE

# VELLEI PATERCULI

## RERUM SCRIPTORIS FIDE.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE GISSENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Franz
FRANCISCUS FAUST
BUERSTADTIENSIS.

GISSAE MDCCCLXXXXI.

# Argumentum.

Non defuerunt qui de Vellei Paterculi fide disputarent inde ab anno millesimo quingentesimo decimo quinto, quo primo eius opus e tenebris in lucem prolatum est. Neque tamen ad liquidum res est perducta; quin etiam prorsus viri docti inter se discrepaverunt. Quod ut illustrem, iudicia referam a viris duobus lata, post quos nemo extitit, qui de hac re iudicaret, a Helbingio dico et a Schwabio[1], qui Teuffelii sententiam fere repetivit. Quorum hic sic scribit: „Velleius preist alles, was mit Tiberius zusammenhängt, in überschwenglicher Weise, auf Gegnerisches aber schlägt er los" (p. 665), „in der Charakterzeichnung der Handelnden liegt die Hauptstärke Velleius'; sie ist bei den Männern der republikanischen Zeit zwar manchmal wunderlich, meist aber treffend . . . Die Gestalten des Cäsar, Augustus und Tiberius werden in eine Weihrauchwolke von zunehmender Dichtigkeit gehüllt; insbesondere Tiberius wird von II, 94 an auf eine maßlos überschwengliche Weise mit einer wahren Verschwendung von Superlativen gepriesen, und geradezu widerlich ist die ausführliche Lobhudelei über Sejanus II, 127 sq., welcher, als Velleius schrieb, auf der Höhe seiner Macht stand" (p. 667). Ille ut adulatorem esse Velleium ita falsum quidquam ab eo memoriae proditum negat (p. 84 sq.) et scribit haec: „Bedeutend und eine erste Quelle wird Velleius da, wo er auf die Ereignisse seiner Zeit zu sprechen kommt" (p. 67), „Velleius hat seinem Kaiser volles Recht widerfahren lassen, wenn er ihn lobt" (p. 55), Velleius' Darstellung des Tiberius wird durch die späteren Autoren im weitesten Umfange bestätigt" (p. 80).

Quae cum ita sint, de Vellei fide disserere etiam hodie non videtur superfluum.

Tractabo rem ita, ut primo loco, quis Velleius fuerit, quando scripserit, quid secutus sit in historia sua conscribenda, breviter perstringam, altero quas scriptor memoriae prodiderit res singulas percenseam Vellei descriptione accurate comparata cum aliorum scriptorum, qui eadem quae ille narraverunt.

Atque de gente sua et vita Velleius ipse nos edocet his fere locis: II, 16, 2; 69, 5; 76, 1; 101, 2 sq.; 104, 3; 111, 3 sq.; 113, 3; 114; 115, 1; 121, 3; 124, 4. Unde eum ortum esse apparet e gente nobili Campana, stipendia meruisse cum M. Vinicio, P. Silio, C. Caesare ducibus inde ab anno primo p. Chr. n. in oriente, tum sub Tiberio inde ab anno quarto usque ad annum duodecimum in Germania, Delmatia, Pannonia, beneficiis et ipsum et suos coniunctos fuisse Tiberio. Quo factum est, ut non modo Tiberium et ut imperatorem et ut hominem magni aestimaret atque admiraretur (cf. II, 104 sqq., 113 sqq.), sed etiam, quippe quibus ipse interfuisset, maxime idoneus esset ad narrandas res et a C. Caesare in oriente (II, 101 sq.) et a Tiberio in Germania Illyricoque (II, 104—116; 120 sq.) gestas. Deinde ab anno tertio decimo Romae versatus est; cf. II, 98, 1; 43, 4; 72, 3. Quare optime res eo tempore in urbe gestas (II, 123 sqq.) scire potuit, praesertim cum esset in senatu. Post praeturam anno quinto decimo p. Chr. n. administratam remotus a negotiis publicis otium in litteris colendis videtur consumpsisse. Nam quamvis militiae deditus esset (cf. II, 52, 4), tamen a litteris minime fuit alienus. Etenim et saepius disputat de poetis, oratoribus, rerum scriptoribus (I, 3. 5. 7. 16. 17. 18; II, 9. 36. 66) et imitatione eos exprimit. Ita in poetarum libellis eum versatum esse ex universa ratione dicendi cogitandique patet (Kaiser[2] p. 46); Ciceronis autem et dicendi rationem saepius imitatus est et permultas sententias, quae apud eum leguntur, immutatas e memoria historiae suae inseruit; atque ut de Ciceronis scriptis ita de Sallustii libris sententias deprompsit (Kaiser p. 28 sqq.). Qua re una continetur causa, cur tanta cum dicendi libertate Velleius in historia sua componenda versari videtur, ut cum

liberae rei publicae tempora moresque laudet (cf. I, 13, 5; II, 1, 1; II, 3, 3 «*inde ius vi obrutum potentiorque habitus prior*», II, 49, 3 «*vir antiquus et gravis Pompei partes laudaret magis, prudens sequeretur Caesaris*», II, 10, 1; 22, 5; 78, 3), tum summis efferat laudibus Catones (II, 35), Cicerones (II, 66), Brutos (II, 72); eae enim sententiae magna ex parte sive ex Ciceronis scriptis sive ex alius liberae rei publicae scriptoris libris repetitae sunt. Alteram causam cognoscemus, si qua ratione Velleius fontibus usus sit consideraverimus.

Quas praeterea viri docti de scriptoris vita fecerint coniecturas commemorare non est huius loci: quaeramus nunc quando scriptor historiam composuerit. Atque multis locis Velleius historiam se instituisse narrat, quo tempore M. Vinicius consul designatus esset, et misisse ad eum consulatum ineuntem; cf. I, 8, 1; 8, 4; 12,6; 13, 5; II, 7, 5; 49, 1; 65, 2; 96, 2; 104, 2; 101, 3; 103, 1; 113, 1; 130, 4. Vinicius autem consul designatus est mense Julio anni 29 et iniit consulatum m. Jan. a. 30. Conscripta igitur est historia intra sex menses posteriores anni undetricesimi. Ex quo perspicuum est Velleium summa cum festinatione scripsisse; cf. I, 16, 1: «*quamquam intellego mihi in hac tam praecipiti festinatione, quae me rotae pronive gurgitis ac verticis modo nusquam patitur consistere, paene magis necessaria praetereunda quam supervacanea amplectenda, nequeo tamen*»; II, 41, 1; 55, 1; 86, 1; 99, 4; 108, 2; 117, 1; 124, 1. Ex festinatione autem opus varia cepit damna. Ac primum quidem dictionis indiligentia ex ea profecta est; namque ut verba et elocutiones ita sententias scriptor repetit, enuntiationes negligenter nectit, «*comprehensio et ambitus ille verborum, si sic περίοδον appellari placet*» flaccescit (Kritz[3] p. LXI). Deinde neque rerum, quas ex fontibus conscripsit, delectum bene instituit neque rerum, quas ut aequalis narravit (cf. Sauppe[4] p. 147 sqq.), sed supervacanea atque leviora saepius commemoravit, graviora omisit. Tum verborum pondera non diligenter examinavit, sed dictione usus oratoria — ut mos erat illa aetate — res mediocres verbis splendidissimis describit, praeter modum et laudat et vituperat (cf. II, 2, 1;

35, 2; 36, 1; 40, 2; 43, 4; 75, 3; 89, 2 etc.), argutiarum atque contrariorum avidissimus est; cf. Sauppe, p. 173 sqq.; Kritz, p. LXVIII; Oppen[5], p. 13 sqq.; Georges, p. 3 sqq. Postremo fontibus propter festinationem non diligenter usus est. Neque enim in annis constituendis sibi constat, sed varias, quas in fontibus invenit, rationes temporum constituendorum non modo non satis discernit, verum etiam confundit; ita et aeram Varronianam (I, 8, 4; cf. Kaiser, p. 10 sqq.) secutus est et Catonianam (II, 15, 1; I, 7, 4; 8, 4 etc.) et alias ab utraque recedentes (II, 14, 3; 14, 6 etc.). Neque qui rerum quas tradiderunt aequales fuerant, scriptores veteres inspexit (Kaiser, p. 10), sed fontes adhibuit commodos atque illa aetate usitatos. Accedit quod non multos fontes adiit, ut credere quis potest perlectis iis locis, quibus Velleius de scriptorum dissensione verba facit I, 7, 2; 8, 5; II, 4, 6; 16, 3; 21, 5; 23, 4; 27, 5; 32, 6; 48, 4; 53, 4. Namque inde ab initio operis usque ad I, 8 Velleium Cornelii Nepotis libris qui chronici appellantur usum esse verisimile est (Sauppe, p. 146 sq.); inde autem a I, 9 usque ad II, 49 — exceptis iis quae I, 14 sq., 16—18, II, 38 sq. extra ordinem narrantur — imprimis Pomponii Attici annalem adhibuit (Kaiser, p. 21—24); porro quae II, 49—90 narrantur, ea ex Messalae Corvini belli civilis commentariis exscripta esse coniecerunt (Kaiser, p. 26 adn.); quae denique II, 90—101 scripta sunt, utrum ex fonte hausta sint an e memoria conscripta (II, 93, 2), diiudicari non potest; earum autem rerum, quas scriptor inde a II, 101 memoriae prodidit, ipse erat aequalis. Praeterea Catonis origines (I, 7, 3), Sisennae historias (II, 9, 5), Hortensii annales (II, 16, 3) fortasse ante oculos habuit et saepe e memoria iudicia a Cicerone vel ab alio scriptore lata reddidit.

Quid Velleius in historia sua conscribenda egisset, sciremus, si initium operis superesset, quo de consilio suo verba fecit (cf. I, 16, 1; II, 38, 1; 66, 3). Sed perdita praefatione et ex ratione, qua res narrat, et ex iis locis, quibus ad consilium illud respicit, eruendum est, quid scriptor sit

secutus. Cuiusmodi loci sunt hi: I, 14, 1; 16, 1; II, 29, 2; 38, 1; 48, 6; 52, 3; 55, 1; 66, 3; 68, 1; 86, 1; 89, 6; 96, 3; 119, 1. Quibus consideratis videmus Velleium summas res a Romanis gestas breviter atque in transcursu oculis animoque legentis subicere voluisse. Neque eorum sententia probari potest (ex. gr. nomino Sauppium, p. 144), qui scriptorem non tam Romanorum res gestas narrare voluisse putant quam historiam componere totius orbis terrarum. Non enim alias gentes commemorat (exceptis iis quae I, 6, 1 de Medis Assyriisque scripta leguntur, quae haud scio an aeque non Velleiana sint ac verba «*Aemilius Sura sqq.*») nisi a Romanis sive bello petitas sive commercio et usu cum iis coniunctas. Quae in initio operis mutilo (inde a capite primo usque ad lacunam quae extat post caput octavum) narrat, ea videtur scripsisse, ut legentes breviter edoceret de origine atque situ gentium in historia sua attingendarum; Graecas autem res pertractat, quia Romani litteris Graecis imprimis Vellei aetate imbuti erant (quare collaudat quoque saepius Athenienses; cf. I, 2, 4; 18; II, 23, 4; 58, 4). Atque narravit Velleius res ita, ut ordinem cum rerum tum temporum observaret. Quod intellegitur ex vocibus, quibus tempus significaretur, persaepe adhibitis; cf. I, 1, 2 sqq. et maxime I, 14, 1. Neque ab ordine illo recessit, praeterquam quod sive «*speciem alicuius rei in unam contractam*» oculis praebere voluit (I, 14 sq.; II, 28, 2; 38 sq.; 55, 1; 90) sive alieno loco inseruit id quod ante oblitus erat commemorare (II, 62, 2; 68; 91, 1; 96, 1; 116, 2). Verumenimvero in tristissimo errore versantur ei, qui Velleium magis id egisse putant, ut res narraret, quam ut homines depingeret. Nam de provinciis enumerandis in Romanorum potestatem redactis scriptor se excusat (II, 38, 1), homines autem insignes commemorare suum esse putat; cf. II, 116, 5: «*horum virorum mentioni si quis quaesisse me dicet locum, fatentem arguet; neque enim iustus sine mendacio candor apud bonos crimini est*». Rerum causas non investigat nisi quod I, 14, 1, cum causas afferat, cur imperium populi Romani brevi tempore ita auctum sit, ut totum fere orbem terrarum complecte-

retur, civitatem nonnullis gentibus bello superatis datam esse commemorat coloniasque ad eas deductas et II, 1, 1 recte unde factum sit, ut Romanorum animi moresque immutarentur, narrat. Homines, perinde ac si res cum fato (II, 1, 4; 11, 3; 12, 1; 52, 1; 53, 1; 57, 3 etc.) tum hominum ingeniis rectae sint (II, 41—44), illustrat ut rerum auctores atque celebrat (I, 2. 6. 7. 8. 9 etc.); ingeniis autem fortunisque eorum illustrandis semper studet (II, 5. 41—43. 59. 69 etc.). Atque etiam res narrare videtur, quibus hominum vel ingenia vel fortunas depingat (cf. II, 36, 2: «*iam paene supervacaneum videri potest eminentium ingeniorum notare tempora*») et rerum causas, ut dixi, fere non indagat, nisi ut ingenia moresque eorum bene ostendat (cf. I, 16; II, 44. 66 etc.); quo factum est, ut saepius operi insereret quae minime in historiam «*tam artatam*» quadrarent; cf. I, 10. 11. 12. 13; II, 41—43 etc.; II, 68, 1: «*neque enim persona umbram actae rei capit*». Atque priore historiae «*particula*» (I, 16, 1) Velleius quasi aditum aperuit ad posteriorem librum eumque nobiliorem. Etenim ex iis quae inde a capite nono in priore operis libro scripta sunt — magna libri pars excidit — concludi potest scriptorem id sibi proposuisse, ut hac priore parte quam brevissime res a Romanis iis temporibus gestas referret, quibus imperium Romanum crevisset et ad id pervenisset, ut sine aemulo atque periculo esset (cf. I, 14, 1; II, 1, 1). Posteriore autem libro id videtur egisse, ut describeret, quo modo res publica Romana ad eum statum deducta esset, in quo esset sua aetate. Quae cum ita sint, duas Velleium res in animo habuisse, cum summas modo res percurrens homines maxime ut rerum auctores depingeret, mihi persuasum est: et viros clarissimos in conspectum Vinicii consulis et amici producere voluit et principatum defendere atque probare. Nam quoniam et omni tempore et apud omnes gentes a singulis hominibus res rectae sint, iure orbem terrarum uni parere demonstrat, praesertim cum et res publica inde a Carthagine deleta continuis bellis civilibus lacerata sit et homines depravati atque in talem statum delapsi (II, 1, 1), ut praeter Caesares salutis auctor neque ex-

sistere potuisset neque esse posset; cf. II, 49; 50, 3; 56, 3; 57, 1; 62, 5; 68, 5; 89; 124—126; 131; a Fortuna Caesares principes Romanorum designatos esse scribit II, 47, 2; 52, 1; 53; 55, 1—3; 60, 2; 74, 4. Nec vero illos laudare possum, qui Velleium non historiam scripsisse ad alios edocendos putant, sed id petivisse, ut cum se suamque aetatem vel aequales amicos suos laudaret tum Tiberium principem et Seianum laudibus efferret (Thamm[6], p. 4). Neque enim Velleius hanc descriptionem quam brevissime consummare coactus copiosiorem atque iustam in posterum pollicitus esset (II, 48, 5; 89, 1; 96, 3; 99, 3; 103, 4; 114, 4; 119, 1), nisi ipse se rerum scriptorem esse putasset. Eas autem res, quas et ab ipso et a suis gestas magna cum loquacitate narrat, levissimas esse et quamvis verae sint tamen in historiam summatim conscriptam non quadrare non nego; sed defendi potest scriptor quia libros misit ad M. Vinicium, amicum et municipem suum, qui ortus erat e gente nobilissima et clarissima (cf. Tac. ann. III, 11; VI, 15; Suet. Aug. 64; 71; Dio 53, 26; 55, 10a).

Quia uterque Campanus erat, Velleius I, 4, 2, ubi Cumas ac Neapolim conditas esse narrat, occasionem non praetermittit earum celebrandarum et I, 7, 2 de annis, quibus Capua Nolaque conditae sint, constituendis, quamquam in opere suo diligenter annos constituere fere non solet, tamen disputat. Nec tamen Vinicios nimiis laudibus effert (cf. II, 96, 2; 101, 3; 103, 1; 104, 2); immo vero huius gentis gloriam imminuit, cum M. Vinicii, qui huius erat avus, praeclare facta, quae memoriae prodidit Dio 53, 26, ne commemoret quidem. Neque offendi potest in eo, quod scriptor, cum res a Romanis Caesarum temporibus gestas narraret, plurimum operae in Caesaribus eorumque factis describendis consumpsit; nam Caesares rem publicam Romanam regebant. Eadem autem ratione qua Caesares eorumque aequales, Velleius viros depinxit rei publicae liberae; cf. Sauppe, p. 156—158; quae ratio scribendi propria erat Velleio eiusque aetati; cf. Sauppe, p. 155—160. Ceterum veri non est simile Velleium ad M. Vinicium, quem virum honestum fuisse

constat (Tac. ann. VI, 15; Dio 60, 27), libros misisse conscriptos adulandi causa.

Quoniam generatim atque universe de Vellei vita et opere verba fecimus, nunc quae scriptor memoriae prodiderit, singillatim consideremus. Nec vero ea tractanda esse mihi videntur, quae leguntur usque ad II, 100, quippe quae raptim ex aliorum libris sint conscripta. Quae inde a II, 101 Velleius narrat, ea perscruter; namque rerum quas his capitibus reddit, ipse fuit aequalis. Unde aestimandus est ut rerum scriptor, unde cognoscendum, quae ei habenda sit fides. Materiam vero ita disponam, ut primum in ea, quae de Tiberio scriptor memoriae prodidit, inquiram, deinde examinem, quae de hominibus Tiberio vinculis et propinquitatis et affinitatis coniunctis narravit, tum, quid quo modo de aliis viris commemoraverit, quaeram.

Ex viris, qui hac in materia tractanda laborem et operam consumpserunt, nominandi sunt ii, quorum libros perlegi: Morgenstern[7] (1800), Sauppe (1837), Pernice (1862), Stanger (1862), Goeke (1876), Abraham (1885), Helbing (1888). Qui quid de Vellei fide existimaverint, breviter liceat referre. Atque Morgenstern eum purgare studuit de adulatione ei obiecta. Itaque quae Velleius narrat, comparavit cum iis, quae Suetonius, Tacitus, Dio memoriae prodiderunt. Quorum de fide cum dubitare non auderet (p. 132—134), de illius existimavit sic: «*in eo quod primarium est, in Tiberii rebus haud falsus est*», «*aperti mendacii convinci nequit*», «*per adulationem permulta aut celat aut velat*» (p. 130). Defendit autem adulationem excusatione «*miserae scriptorum condicionis sub Tiberio*» et «*singularis ac proprii Vellei status*». Ut Morgenstern Velleium magis ut hominem purgavit quam ut rerum scriptorem, ita etiam Sauppe. Qui nimia in Tiberium observantia eum ductum esse sibi persuasit neque aliud quidquam probandum sibi proposuit nisi eum non consulto adulatum esse (p. 180). Accuratam autem auctorum comparationem primus instituit Pernice; qui quas Velleius narrat res singulas examinavit; sed generale non fecit iudicium, nisi quod p. 44 scripsit «*eam Tiberii personam, quam Velleius*

*informasset, non ab omni fide historica esse alienam».* Quo anno Pernice, eodem Stanger de Vellei fide disseruit, sed aliter iudicavit atque ille. Scribit enim sic: *«apparet Velleium in actis Tiberianis exponendis eadem fere atque in Augusti rebus enarrandis ratione versatum esse, cum alia quae essent minus commendabilia velamine caute obtegeret aut plane omitteret, alia in quibus solida inerat virtus orationis calamistris amplificaret, alia prorsus affingeret* (p. 32). Quo modo cur de Vellei fide existimaverit, causae non sunt reconditae. Ea enim iudicia secutus est, quae de Tiberii temporibus ferunt Tacitus atque Dio. Atque de hoc iudicat sic: *«Dio ubique virum incorruptae fidei se praebet atque, si quando secus ac ceteri auctores tradit, optima fide fontes secutus esse videtur»* (p. 17). Illius autem sententias comprobat et in iis, quae p. 2 de lege maiestatis a Tiberio adhibita scribit, et in iis, quae p. 35—38 de dicendi libertate a Tiberio oppressa narrat, neque, quominus hoc faceret, suis ipsius verbis prohibitus est, quibus iudicium probavit Sieversii, qui alienum fuisse Tacitum a Tiberio docuisset (p. 31 sq.). Neque multum a Stangero dissensit Goeke, qui, postquam ea examinavit, quae Velleius scripsit de Tiberii virtute imperatoria (p. 10—17), de administratione rei publicae (p. 18—20), de vita moribusque (p. 20—30), sibi persuasit *«re vera Velleium fuisse adulatorem, cui non multum fidei esset habendum»* (p. 30). Quod mirum non est, quippe cum Goeke aeque atque Stanger Dionem virum esse dicat veritatis diligentem, cui fides non sit abroganda (p. 11). Medium quendam cursum tenuit Abraham, ut qui fieri non potuisse iudicaret, ut Velleius fictas res memoriae proderet, quod historiam conscripsisset, quae legeretur ab hominibus, qui optime res nossent, verum nonnumquam eum falsas rerum effigies expressisse censeret, quod alia omisisset, alia in maius celebrasset (p. 5). Helbing denique quid de Vellei fide iudicavisset, supra commemoravi. Qui quare adductus sit, ut Velleio dissentienti a ceteris scriptoribus fidem haberet, non explanat (cf. ea quae scribit p. 45 de Vell. II, 122; p. 46 de Vell. II, 104, 2; 124, 2; p. 49 de Vell. II, 104, 4).

Tum sequitur, ut eos commemorem, qui, cum Tiberii res gestas explicare studerent usi veteribus auctoribus, de Vellei quoque fide iudicaverunt. Ex quibus quorum libros inspexi, hi nominandi videntur esse: Sievers[8] (1850), Stahr (1863), Reichau (1865), Thamm (1874), Ranke (1883). Neque quae tulerint iudicia, omittam. Atque Sievers, quamquam Velleium adulatorem esse non negat (cf. p. 7, adn. 14 „Gewiß aber haben die alles Maß überschreitenden Lobhudeleien des Velleius Paterkulus dem Rufe des Tiberius nicht wenig Eintrag gethan"), tamen plurima eorum, quae ille narraverit, confirmari dicit a Tacito: „Ziehen wir bei ihm und bei Tacitus die subjektive Ansicht ab, die bei dem einen hier, bei dem anderen dort hinaus will, so bleiben bei beiden die Thatsachen dieselben. Das Gemälde, welches Velleius i. J. 31 (rectius intellegas 29) p. Chr. von der Regierung des Tiberius entwirft, stimmt merkwürdig mit der Schilderung der ersten 10 Jahre, die Tacitus giebt, überein" (p. 97). Stahr autem in verba Vellei iurat, quibus res a Tiberio in Germania Illyricoque gestas describit; quae de principe Tiberio ille scripserit, ea non prorsus contemnenda esse putat. Ceterum nimiam Vellei erga Tiberium pietatem defendit, cum scribit his quoque temporibus non deesse, qui pietate inducantur, ut ducem vel principem nimiis laudibus efferant (p. 44 sq.; 115). Neque cum Sieversio neque cum Stahrio consentit Reichau, qui scribit haec: «*quare Vellei Paterculi liber, qui cupiditate ipsius et temporis pravitate et perversitate foedatus est, ab omni fide multum abhorret, quum praesertim usque eo adulationis progrediatur, ut ad Tiberii laudem augendam, quae liquidissima atque planissima ei esse debebant et erant, ea saepe numero pervertere et contorquere non dubitet*» (p. 11). Quid existimavisset Thamm, magna ex parte supra commemoravi; quae desunt, ea hoc loco reddam: «*at non solum nonnullas res in maius extollere ausus est, sed etiam consilio facta, quibus memoriae traditis fieri potuit, ut princeps ille male audiret, silentio texit . . . tantum mendaciorum vestigia nulla reperire possum neque falsa invenisse videtur*» (p. 4). Ranke denique Velleium adulatorem esse non negat (III, 1, p. 45 adn. et p. 50) et, quod auc-

tore eo nonnumquam in rebus Caesarum explicandis usus sit, se excusat; cf. III, 2, p. 272 „ich führe diese Einzelheiten an, um zu rechtfertigen, daß ich ihn hie und da benutzt habe, selbst in seinen Mitteilungen über die Geschichte des Tiberius".

Quae quidem de aliorum iudiciis; ipsi nunc quae Velleius memoriae prodiderit, percenseamus. Atque II, 103, 1 Tiberium Rhodo rediisse legimus Romam «*ante Gai et Lucii Caesarum obitum*» (a. 2 p. Chr. n.). Quod ita se habere Suetonius quidem auctor est (Tib. 13), ex Dionis autem 55, 10 a utrum ante utrumque Caesarem mortuum reverterit necne, cognosci non potest (Xiphilinus consentit cum Velleio ac Suetonio).

Repleverit Tiberius Rhodo reversus patriam «*incredibili laetitia*» necne, in medio relinquendum est, quia de hac re alius scriptor nos non edocet. Jure autem Tiberium a scriptore et hoc appellari «*praesidia rei publicae*» et aliis locis «*vindicem custodemque imperii*» (104, 2), «*tutelam imperii*» (105, 3), «*praesidium militum*» (111, 2), «*perpetuum patronum Romani imperii*» (120, 3) testes sunt etiam Suetonius et Tacitus et Dio. Quorum Suetonius (Tib. 21) epistolas Augusti affert, quibus eum Tiberium prosecutum esse illustret «*ut peritissimum rei militaris utque unicum populi Romani praesidium*». Tacitus autem atque Dio Tiberium fuisse scribunt «*subsidium dominationi Augusti*»; cf. Tac. ann. I, 3; Dio 55, 13: «ἐπιθαρσήσας (scil. Augustus) ὡς καὶ διαδόχους καὶ βοηθοὺς ἔχων (scil. Tiberium atque Germanicum)». Atque etiam homines a Tiberio alienissimi, qui «*saevitiam, simulationem, secretas libidines*» crimini ei dant, iis temporibus, quibus Tacitus eum «*egregium vita famaque*» fuisse scribit ann. VI, 51 (usque ad annum 14 p. Chr. n.), eum «*spectatum bello*» fuisse non negant (cf. Tac. ann. I, 4).

Sed haec leviora sunt, illa vero graviora, quae scripta leguntur II, 103, 2 sq. Quo loco scriptor, quamquam Tiberium consortem factum esse tribuniciae potestatis et adoptatum ab Augusto anno quarto p. Chr. n. confirmatur et a Suetonio (Aug. 65; Tib. 15) et a Tacito (ann. I, 3) et a Dione (55, 13), tamen in offensionem irruit virorum doctorum. Non

enim consentiunt cum iis, quae Suetonius atque Tacitus reddunt, verba quibus Velleius adoptionem commemorat: «*non est diu cunctatus Caesar Augustus; neque enim quaerendus erat quem legeret, sed legendus qui eminebat, itaque quod post Lucii mortem adhuc Gaio vivo facere voluerat atque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus, post utriusque adulescentium obitum facere perseveravit, ut et tribuniciae potestatis consortionem Neroni constitueret, multum quidem eo cum domi tum in senatu recusante, et eum Aelio Cato C. Sentio consulibus ... adoptaret*». Suetonius enim Calig. 4 Augustum diu cunctatum esse scribit, «*an Germanicum sibi successorem destinaret*»; Tacitus autem Tiberium ab Augusto filium, collegam imperii, consortem tribuniciae potestatis adsumptum esse narrat «*matris artibus*»; cf. ann. I, 3, 7; IV, 57. Nec vero hic audiendus est, quia Tiberio ita iniquus his locis cognoscitur, ut sibi ipse discrepet. Namque ann. III, 56 scribit Augustum Tiberium anno 6 a. Chr. n. socium tribuniciae potestatis delegisse, «*ne successor in incerto foret*», ratum sic prohiberi posse «*pravas aliorum spes*» et fisum «*modestiae Neronis*». Qua cum sententia optime congruunt litterae ab Augusto scriptae, quas affert Suetonius Aug. 71. 76. 92; Tib. 21; Claud. 4. Accedit quod neque Dio 55, 13 neque Suetonius Aug. 65; Tib. 15, 21; Calig. 4 a Livia Augustum commotum esse commemorant, ut Tiberium adoptaret; verum sua sponte Augustum id fecisse cognoscitur ex Suet. Tib. 21 et Calig. 4 et verisimile est, quia res graviores Augustus tractabat cautissime; cf. Suet. Aug. 84: «*sermones quoque cum singulis atque etiam cum Livia sua graviores non nisi scriptos et e libello habebat, ne plus minusve loqueretur ex tempore*». Neque hic unus locus est, quo Tacitus Tiberio obtrectet, sed multa possunt afferri exempla, quibus id ostendatur. Itaque, ut plura non dicam, quo modo quae ratio Tiberio cum Augusto interfuisset, descripserit ann. I, 10, consideres. Quo loco cum homines disserentes faciat anno 14 p. Chr. n. sic: *ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successorem adscitum; sed quoniam adrogantiam saevitiamque eius introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse*», hunc

rumorem confirmare studet oratione commemorata, quam Augustus in senatu habuisset, ut Tiberii habitum specie excusaret, reapse exprobraret. Attamen rumores illi multo post Augustum mortuum extiterunt. Quod Dio, quamquam ipse eos reddit 56, 45, tamen aperte dicit 56, 46: «ταῦτα μὲν δὴ οὖν ὕστερον διαθροεῖν ἤρξαντο». Neque cum iis congruunt ea, quae Tacitus aliis locis scribit; cf. III, 56: «*modestiae Neronis fidebat*» (scil. Augustus) et VI, 51: «*morum tempora illi* (scil. Tiberio) *diversa: egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit*». Orationem autem illam re vera habitam esse ab Augusto, ut Tiberii habitum defenderet, Suetonius testis est; cf. Tib. 68 et 21: «*ut nonnumquam remissiores hilarioresque sermones superveniente eo* (scil. Tiberio) *abrumperet* (scil. Augustus)». Sed haec hactenus; de verbis illis Suetonii, quae quominus Velleio fidem habeamus, obstant, quid existimandum sit, videamus. Atque quamquam dubitari potest de Augusti consilio adoptandi Germanicum, si quam studiosi Germanici celebrandi fuerint scriptores veteres, respexeris (cf. Suet. Calig. 5 sq.), tamen fieri potuisse concedo, ut Augustus de adoptione Germanici cogitaret; etenim hunc fortasse arrogare voluit pro M. Agrippa qui appellatur Postumus, homine inutili. Sed Lucio nepote mortuo (m. Aug. a. 2 p. Chr. n.; cf. Ranke III, 1, p. 46 adn. 1) et Gaio vulnerato (a. 3 p. Chr. n.; cf. Dio 55, 10 a) Augustum incertum fuisse, quem sibi successorem destinaret, omni ex parte nego. Nam Augustus Tiberium ita de re publica et de ipsius imperio meritum esse sibi persuaserat, ut facere non posset, quin successorem eum destinaret; cf. Suet. Tib. 21. Quam ob rem se Tiberium rei publicae causa adoptare pro contione iuravit (Vell. II, 104, 1; Suet Tib. 21), cum una cum hoc M. Agrippam arrogaret (Suet. Aug. 65; Tib. 15. 21). Improbanda igitur sunt illa verba Suetonii et fides habenda Velleio. Neque huius sententia omni caret confirmatione; quin etiam Taciti verbis VI, 51 comprobatur: «*dein Rhodo regressus* (scil. Tiberius) *vacuos principis penates duodecim annis obtinuit*» (i. e. inde ab anno tertio p. Chr. n. usque ad annum quartum decimum). Augustus igitur Ti-

berium anno 2 p. Chr. n. Rhodo in urbem regressum paulo post i. e. anno 3, quo anno Lucius mortuus et Gaius vulneratus est, adoptare voluit, sed, cum Tiberius repugnaret, ante annum quartum, quo anno Gaius vita decessit (m. Febr. cf. Ranke III, 1, p. 46, adn. 2), arrogare non potuit.

Jam de laetitia illa dicamus, quam Romanos ex Tiberii adoptione cepisse Velleius scribit 103, 4 sq. Quo loco discrepare videtur a Dione, qui 57, 3 homines a Tiberio alienos fuisse narrat. Attamen Velleio fides habenda est. Neque enim intellegitur, unde factum sit, ut Romani, qui illis temporibus ad tantam adulationem delapsi erant, ut quaecumque princeps faceret comprobarent (cf. Tac. ann. I, 1, 7 etc.; III, 1: «*pars officium in principem rati*»), non adularentur Tiberium, ad quem Augustus omnes congereret honores; cf. Suet. Tib. 15: *nihil ex eo tempore praetermissum est ad maiestatem eius augendam*». Praeterea Tiberius non omni populi videtur caruisse amore; nam Suetonius Tib. 10 eum Rhodum decessisse narrat, ut civibus quam maximum sui desiderium incuteret, et Tib. 12 scribit haec: «*nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin deverteret Rhodum*». Atque rumorem Dio videtur reddidisse divolgatum ab hominibus, qui alieni essent a Tiberio, similiter atque Tacitus ann. II, 84. Quo loco hic populum doluisse narrat de duobus Tiberii nepotibus ex Livia, Drusi uxore, natis. Neque tamen omnem populum ita egisse verisimile est. Uterque scriptor quo modo fuissent animi hominum nonnullorum vel complurium memoriae videtur prodidisse.

Paulo post adoptionem Tiberium missum esse ad bellum in Germania gerendum Velleius narrat 104, 2. Quod confirmatur et a Suetonio Tib. 16 et a Dione 55, 13. De laetitia vero, quam milites ex Tiberii adventu cepisse ille tradit 104, 3 sq., alius scriptor nos non edocet. Neque tamen Stanger audiendus est, qui Velleium hoc loco adulatorem inveniri putet (p. 16). Non enim iis, quae Velleius scribit, repugnant verba Dionis, quibus 55, 23 militum animos describit: «χαλεπῶς δὲ δὴ τῶν στρατιωτῶν πρὸς τὴν τῶν ἄθλων σμικρότητα διὰ τοὺς πολέμους τοὺς τότε ἐνεστηκότας οὐχ ἥκιστα ἐχόντων, καὶ

μηδενὸς ἔξω τοῦ τεταγμένου τῆς στρατείας σφίσι χρόνου ὅπλα λαβεῖν ἐθελόντος». Nam quamvis milites sorte sua non fuerint contenti, tamen possunt venerati esse ducem.

Ac ne ea quidem possunt probari quae scribit Stanger verba: «*item si memineris eosdem milites, quos singulari erga Tiberium studio tum affectos fuisse Velleius dicit, postea Augusto defuncto contra Tiberium rebellasse Germanicoque regnum obtulisse, iam Velleius non dicam mendax at certe nimius in illa praedicatione invenietur*». Neque enim, ut omittam causas, cur legiones anno 14 p. Chr. n. seditiosae fuerint, milites hoc loco commemorati anno 14 seditionem fecerunt, sed homines illi undique conquisiti, qui anno 6 ad bellum in Illyrico gerendum conscripti sunt; cf. Vell. II, 111, 1; Dio 55, 31; Tac. ann. I, 31: «*vernacula multitudo, nuper acto in urbe dilectu, lasciviae sueta, laborum intolerans*».

Quod Velleius opera Tiberii «*caelestissima*» fuisse scribit, eo fides non imminuitur. Neque adulatorem eum esse ex hoc licet erui, quoniam ab eodem appellantur II, 35, 2 M. Cato «*homo Virtuti simillimus et per omnia ingenio diis quam hominibus propior*», II, 40, 2 Cn. Pompeius «*per omnia fortunam hominis egressus*», 43, 4 Vetus Antistius «*vir in tantum bonus, in quantum humana simplicitas intelligi potest*», 60, 2 Augusti animus «*caelestis*», 66, 3 Ciceronis os «*caelestissimum*». Proprium est Vellei splendidissimis verbis et res describere et homines depingere. Qua dictione cum uteretur, scriptor serviit tempori.

Quas in Germania Tiberius annis 4—5 gesserit res, deinceps Velleius narrat 105—108. Sed fidem in his quominus ei haberent, variis viri docti probibiti sunt causis. Neque enim consentit scriptor, qui 105, 1 Tiberium anno 4 Visurgim flumen transiisse scribit, cum Dione, qui 55, 28 eum progressum esse tradit usque ad Visurgim: «μέχρι τοῦ ποταμοῦ, πρότερον μὲν τοῦ Οὐισούργου, μετὰ δὲ τοῦτο καὶ τοῦ Ἀλβίου προεχώρησεν.» Deinde cum 106, 2 verbis utitur: «*quod numquam antea spe conceptum, nedum opere temptatum erat, ad quadringentesimum miliarium a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluit, Romanis*

*cum signis perductus exercitus*», et a Tacito dissentit et a Dione, quorum uterque Tiberium non primum ad Albim fl. penetrasse auctor est; nam Dio anno 9 a. Chr. n. Drusum usque ad Albim progressum esse tradit 55, 1, uterque autem ante annum primum p. Chr. n. L. Domitium non modo ad Albim processisse sed etiam eum transgressum esse reddit; cf. Tac. ann. IV, 44; Dio 55, 10 a. Tum et a Suetonio et a Dione discrepare videtur Velleius verbis, quae facit 106, 3: «*classis quae Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta . . . exercitui Caesarique se iunxit*». Nam mare septentrionale non incognitum Romanis fuisse testes sunt Suetonius et Dio, quorum uterque Drusum anno 12 a. Chr. n. hoc mare navigasse tradit; cf. Dio 54, 32; Suet. Claud. 1. Age consideremus quid de his rebus sit existimandum.

Atque Tiberium aestate anni 4 Visurgim flumen transgressum esse verisimile est, cum hieme a. 4—5 hiberna locarit «*ad caput Lupiae fluminis*» (Vell. II, 105, 3). Sed hoc levioris momenti est: universa descriptio rerum a Tiberio annis 4—5 in Germania gestarum, quam Velleius instituit, praeferenda est Dionis narrationi. Nam illius, qui quantum Tiberius profecerit et quantopere Germanorum animos percusserit, narrat 105—107, descriptio variis probatur argumentis; huius verba: «οὐ μέντοι καὶ ἀξιομνημόνευτόν τι τότε γε ἐπράχθη» non consentiunt cum rebus. Nam Germani anno 5 ita erant pacati, ut pacem a Romanis peterent (Dio 55, 28). Augustus autem propter res in Germania gestas summis honoribus auxit et se et Tiberium et Sentium Saturninum legatum (Dio l. l.). Praeterea Germani post bellum annis 4—5 gestum Tiberium summum esse ducem putabant; quod intellegitur ex ratione, qua Tacitus ann. II, 46 Maroboduum loquentem facit de Tiberio: «*se (scil. Maroboduum) duodecim legionibus petitum duce Tiberio inlabatam Germanorum gloriam servavisse*». Neque illa Dionis verba intellegi possunt nisi ita, ut scriptor Tiberii res gestas non dignas esse censuerit, quae memoriae proderentur, quia unum modo proelium is commisit. Sed hac ipsa ex re virtus cognoscitur Tiberii ducis; etenim semel

modo factum est, ut «*fraude Germanorum temptato exercitu*» (Vell. II, 107, 3) proelium committere cogeretur. Quod ipse postea de se praedicavit, cf. Tac. ann. II, 26: «*se novies a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse*». Quam ob rem Tiberius maior erat dux quam Germanicus, quem saepius, ut Germanorum insidias effugeret, magnis cum detrimentis proelia committere coactum (cf. Tac. ann. I, 55—71; II, 5—26) suo iure ille anno 16 a Germania revocavit. Quae a Tiberio in bello gerendo positae sunt cura atque opera, certe minores non erant iis, quas posuerunt ante eum Drusus (Dio 54, 32 sq.; 55, 1) et post eum Germanicus (Tac. ann. I, 50 sq.; 55—71; II, 5—26). Neque itinera, quae fecit exercitus annis 4—5, minus erant difficiliora neque pericula, quae subiit, leviora iis, quae exercitus subierunt annis 12—11 et 9 a. Chr. n. et 14—16 p. Chr. n. Nihilominus et Dionem, qui Drusi expeditiones laudet, et Tacitum, qui Germanici res gestas summis efferat laudibus, scriptores esse veritatis amantes nemo est quin dicat, sed Velleium, quamquam iisdem laudibus Drusum atque Germanicum effert, quibus Tiberium (ut Tiberium 100, 1 ita Drusum 97, 3 et Germanicum 129, 2 domitores appellat Germaniae), tamen Tiberium adulatum esse nemo fere negat (cf. Stanger p. 15).

Sed iam sentio me esse longius egressum quam proposita ratio postularet: dicamus de altera illa causa, quam quominus fides Velleianae belli Germanici descriptioni haberetur, obstare vidimus. Atque cur Drusum anno 9 a. Chr. n. ad Albim flumen penetrasse negem, variae extant rationes.

Primum enim Drusus anno 11 a. Chr. n. ne Visurgim quidem transgredi potuit et magna cepit detrimenta, cum per fines Cheruscorum proficisceretur (Dio 54, 33). Deinde anno 9, priusquam ad Cheruscos pervenit, apud Chattos et alias gentes (Suebi appellantur a Dione) gravissimas fecit iacturas; cf. Dio 55, 1: «τοὺς προςμιγνόντας οἱ οὐκ ἀναιμωτὶ κρατῶν». Post in tota descriptione 55, 1 Dio versatur oratoris ratione, non rerum scriptoris; cf: «γυνή γάρ τις μείζων κ. τ. λ.» Tum Suetonius, qui Claud. 1 Drusum laudat, qui primus Romanorum ducum oceanum septentrionalem navigaverit, non

commemorat eum primum ad Albim flumen progressum esse. Ad extremum Tacitus ann. IV, 44 L. Domitium celebrat transgressum «*exercitu flumen Albim longius penetrata Germania quam quisqam priorum*». Ac ne illa quidem, quae de Domitio reddunt Tacitus IV, 44 et Dio 55, 10 a, repugnant Vellei verbis, quae leguntur 106, 2. Nam Domitius ad Albim flumen progressus eum transiit, postquam Hermunduros in finibus Marcomannorum collocavit (Dio 55, 10 a) i. e. haud procul a fluminis fonte, in parte eius superiore. Tiberium autem laudat Velleius progressum ad Albis fluminis partem inferiorem; nam et vim addit verbis «*ad quadringentesimum miliarium*» et Tiberium ad Albim pervenisse scribit «*fractis Longobardis*» et Albim flumen esse narrat praeterfluens «*Semnonum Hermundurorumque fines*».

Restat, ut quo iure Velleius verba illa quae sunt 106, 3 scripserit quaeramus. Quod paucis absolvitur. Nam ex Dionis 54, 32 cognoscitur Drusum in mare septentrionale evectum ultra Frisorum fines non progressum esse; cf. «ἐς τὴν Χαυκίδα διὰ τῆς λίμνης ἐμβαλὼν ἐκινδύνευσεν». Itaque Velleius id mare, in quod Albis flumen influit, «*incognitum atque inauditum*« suo iure dicere potuit. Quae cum ita sint, satis demonstrasse mihi videor Velleium, quamquam eum quam maximis laudibus Tiberii facta extulisse concedendum est, tamen neque mentitum esse in describendis rebus a Tiberio annis 4—5 in Germania gestis neque Tiberium esse adulatum, sed fidem ei esse habendam. Ceterum hebetis ille fuisset ingenii, si mentitus esset istas res, quibus Tiberii gloriam augeret; nam fictas eas esse nemo non intellegere debuit, propterea quod viri, quibus nemo prior in regiones incognitas penetrasset, omnibus erant noti; cf. Tac. ann. IV, 44 et Suet. Claud. 1.

Quod porro Velleius scribit 108, 1: «*nihil erat iam in Germania, quod vinci posset praeter gentem Marcomannorum*», recte Krause[9] ad hunc locum adnotat iactantius hoc dictum esse pro Romanorum arrogantia et supplendum esse «*intra Albim*». Neque quidquam de Vellei fide detrahunt verba atque locutiones, quae sunt 105, 3: «*aestiva immanis emolu-*

*mentum fecere victoriae»*, 106, 1: «*pro dii boni, quanti voluminis opera*», «*perlustrata armis tota Germania*», «*omnis eorum iuventus infinita numero, immensa corporibus . . ante imperatoris procubuit tribunal*», etc. Quae sita sunt in scriptoris oratione effervescente atque redundante. Neque rerum scriptori ea crimini danda sunt, sed homini Romano, qui tantas res gestas ipse vidit earumque «*recordatione perfruitur*»; cf. 101, 3; 104, 3; 119, 2 «*quem ita semper* (scil. Germanos) *more pecudum trucidaverat* (scil. exercitus Romanus)». Atque reprehendendus est Stanger in eo quod Velleium adulatorem esse putat, cum Germanos «*tam putida descriptione*» prosecutus sit (p. 28). Neque enim scriptor obtrectans virtuti eorum, qui vincuntur, gloriam auget eius, qui vincit. Unde nihil potest cognosci nisi summa Vellei levitas atque petulantia. Quare quo modo Tiberius ductores suos habuerit, II, 114 nos docet, de disciplina, de qua verba facit Suetonius Tib. 18 sq., tacet.

Iam transeamus ad ea, quae Velleius 108—110 de Maroboduo narrat. Neque causa est, cur fidem scriptori denegemus. Nam descriptio eius, quamquam universa aliorum scriptorum testimonio probari nequit (neque enim quisquam praeter eum de his rebus verba fecit), tamen magna saltem ex parte confirmatur iis, quae Tacitus per occasionem de Maroboduo reddidit. Ita Vellei verba 108, 2: «*certum imperium vimque regiam complexus*» comprobantur verbis Taciti ann. II, 44: «*Maroboduum regis nomen invisum apud populares habebat*»; quae de regni magnitudine ille narrat, ea vera esse testis est hic ann. II, 45. ubi Suebas gentes, Semnones, Langobardos in Marobodui dicione fuisse scribit; cum illius verbis: «*incinctos Hercynia silva campos incolebat*» congruunt huius: «*Hercyniae latebris defensum*»; quae ille 109, 5 et 110, 1 sq. commemorat de belli comparatione initio anni 6, ea consentiunt cum huius l. l. II, 46; quae de pace ille facit verba 110, 3: «*tum necessaria gloriosis praeposita*», ea confirmantur a Tacito II, 46: «*condicionibus aequis discessisse*»; Maroboduum denique Romanis metuendum fuisse, id quod Velleius reddit 109, 3 sq., cognoscitur ex Taciti verbis II, 63.

Bellum Maroboduo inferre Tiberius prohibitus est rebellione Dalmatarum atque Pannoniorum. Itaque Velleius 110 transit ad describendum bellum annis 6—9 in Illyrico gestum. Quod maximum atque periculosissimum fuisse narrat 110 et 111, 1. Et recte. Nam et Suetonius Tib. 16 hoc bellum «*gravissimum omnium externorum bellorum post Punica*» fuisse testis est et Dio 55, 29 Tiberium timuisse reddit, ne Pannonii Dalmataeque in Italiam irrumperent. Accedit quod bello patrato insignia ornamenta ad Tiberium congesta sunt; cf. Suet. Tib. 17; Dio 56, 17. Morem autem Romanorum, quibus alias gentes non extitisse persuasum erat nisi ut essent in sua dicione, Velleius observavit, cum Dalmatas Pannoniosque in Romanos coortos esse scriberet «*insolentes longae pacis bonis*» (110, 2). Cur gentes Illyricae contra Romanos coniuraverint, causam nos docet Dio 55, 29: ταῖς ἐςφοραῖς τῶν χρημάτων οἱ Δελμάται βαρυνόμενοι κ. τ. λ.; cf. Dio 56, 16; 55, 33. Neque occasionem rebellandi Pannoniis oblatam Velleius commemorat. Dio autem legiones, quae sub Valerio Messala legato Illyrici fuissent, in Germania pugnasse tradit (55, 29). Verumtamen Velleius, cum Pannonios arma corripuisse narrat, quod «*adulti viribus*» fuissent, consentit cum Dione, qui 55, 29 scribit haec: «τὸν μὲν ἔμπροσθεν χρόνον καὶ ἄκοντες ἡσύχαζον. ὡς δὲ . . . τὴν ἡλικίαν σφῶν ἀνθοῦσαν εἶδον, οὐκέτι διεμέλλησαν». Quae porro Velleius 111, 1 de delectu anno 6 habito narrat, ea confirmantur a Dione 55, 31. Quo modo bellum in Illyrico gestum sit, Velleius deinceps narrat 111—116. Neque dubito huius descriptionem praeferre iis, quae Dio de hoc bello memoriae prodidit 55, 30—34 et 56, 11—16. Nam ille de rebus generatim atque universe locutus singula non commemoravit, nisi quod res vel homines, qui res gessissent, dignos esse putavit, qui memoriae proderentur; hic proelia atque oppugnationes fuse enarravit, sed quae gestae essent res, neque descripte neque electe digessit, verum confuse et permixte dispersit. Neque quam vera sint ea, quae Velleius 111, 4; 112, 3; 113; 114 de rebus a Tiberio gestis annis 6—7 narrat, ex Dionis scriptis (55, 30. 32) satis potest intellegi. Sed ex eventu si de

rebus a Tiberio gestis existimare licet, Velleio fides habenda est; nam Pannonii anno 8 ita erant domiti, ut pacem rogarent (Dio 55, 33 sq.; Vell. II, 114, 4). Quae 115, 4 de labore et opera narrat a Tiberio anno 9 in bello componendo consumptis, ea confirmantur a Dione 56, 12—14.

Dum Tiberius bellum in Illyrico componit, P. Quintilius Varus in Germania gravissima clade affectus est. Quare ille anno 10 in Germaniam missus est, qui damnum sarciret. Quod quo modo fecerit, Velleius narrat 120, 1 sq. et 121, 1. Atque vere eum res reddidisse testes sunt Suetonius Tib. 18 sq., Dio 56, 23. 25, Tacitus ann. I, 34: «*praecipuis laudibus celebrans* (scil. Germanicus), *quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset* (scil. Tiberius)». Nec vero in huius belli descriptione latet, cur Dio ea, quae Tiberius in Germania fecit, tam parvi aestimaverit; non enim Tiberius magna commisit proelia; cf. Suet. Tib. 19. Quae cum saepius committerent Drusus atque Germanicus, quamquam hac ex re eos fuisse duces Tiberio minores cognoscitur (cf. p. 16 sq.), tamen a Dione laudantur. Nec vero hoc modo Dio solus de Tiberii virtute existimavit sed etiam Tacitus. Qui reprehendere non veritus est Tiberium in eo, quod fortunae casibusque quam minimum permisit neque magna bella gessit, cum regeret rem publicam; cf. ann. II, 64. 65; IV, 4. 32.

Sed haec non huius temporis: pergamus examinare res a Velleio memoriae proditas. Atque 121, 1 Tiberio aequum ius in omnibus provinciis exercitibusque atque Augusto datum esse legimus. Cuius rei testes sunt etiam Tacitus, qui ann. I, 3 Tiberium «*collegam imperii*» appellat, et Suetonius, qui Tib. 21 legem latam esse docet, «*ut Tiberius provincias cum Augusto communiter administraret*». Quae lex utrum lata sit ante triumphum a Tiberio m. Ian. a. 12 actum, ut Velleius scribit, an post eum, ex Taciti vel Suetonii verbis cognosci non potest.

Porro apud Velleium scriptum est (121, 2 sq.) Tiberium e Germania regressum triumphum ex Illyrico egisse magnificentissimum. Quod verum esse testantur et Dio 56, 17 et Suetonius Tib. 20: «*a Germania in urbem post biennium re-*

*gressus triumphum, quem distulerat, egit prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat*».

Quoniam Tiberius inde ab anno 12 bella gerere desiit et Romae versatus curam operamque in re publica administranda posuit, Velleius 122 id agit, ut et exitus sit dignus rebus ab illo foris gestis et initium dignum iis, quae fecit domi. Itaque moderationem praedicat Tiberii, qui «*cum sine ulla dubitatione septem triumphos meruerit*», tribus contentus fuerit. Mitto quaerere merueritne Tiberius, ut praeter triumphos, quos egit Pannoniae a. 8 a. Chr. n. (Vell. II, 96, 3), Germaniae a. 7 a. Chr. n. (Vell. II, 97, 4), Illyrici a. 12 p. Chr. n. (Vell. II, 121, 2), triumpharet de oriente (a. 20 a. Chr. n.; Vell. II, 94, 4) et de Vindelicis Rhaetisque (a. 15 a. Chr. n.; Vell. II, 95, 1 sq.) — non enim rerum tum gestarum Velleius erat aequalis —: res a Tiberio in Germania et annis 4—5 et annis 10—11 gestas, quamquam magna proelia non commissa sunt, tamen idoneas fuisse censeo, ex quibus triumpharetur (cf. p. 15 sqq.). At licet amplificaverit scriptor atque auxerit hoc loco res gestas Tiberii, certe eum adulatorem dicere non licet. Neque enim reprehendendus est in eo, quod nimia erga imperatorem suum pietate ducitur, quo loco, postquam omnia ducis facta explicavit, quam brevissime praeclarissimas res ab eo gestas in memoriam legentis redigere studet. Praeterea si consideraveris Germanicum a Tacito ann. II, 73 comparari cum Alexandro Magno, adulationis Velleium utique absolves. Ceterum Tiberium ipsum dixisse nonnullos a se repudiatos esse triumphos Tacitus reddit III, 47: «*post tot receptos in iuventa aut spretos triumphos*». Quibus verbis cur fides non sit habenda non video.

Quid egerit Tiberius annis 12—13, Velleius non commemorat (cf. Dio 56, 28), sed confestim transit ad annum 14, quo Augustus mortuus est et Tiberius eius «*stationi*» successit. Itaque 123 Tiberium in Illyricum profecturum ad Augustum gravi morbo affectum revocatum esse scribit et in supremum congressum colloquiumque eius pervenisse. Quod ita se habere testis est Suetonius, qui Aug. 97 sq. reddit haec: «*Tiberium igitur in Illyricum dimissurus et Bene-*

*ventum usque prosecuturus* (scil. Augustus) . . . *adgravata valetudine tandem Nolae succubuit revocatumque ex itinere Tiberium diu secreto sermone detinuit»* et Tib. 21: «*Tiberius in Illyricum profectus statim ex itinere revocatus iam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum repperit fuitque una secreto per totum diem*». Sed dissentiunt ab utroque scriptore Dio atque Tacitus. Quorum hic, ut omittam id quod scribit «*properis matris litteris accitur*», quia fieri potuit, ut Augustus uxorem iuberet filium revocare, ann. I, 5 scribit sic: «*neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem repperit* (scil. Tiberius)» et, ut legenti persuadeat Augustum a Tiberio repertum esse exanimem, ea narrat quae Livia tum fecit. Ille autem 56, 31, quamquam esse concedit, qui dicant «παραγενέσθαι τὸν Τιβέριον τῇ νόσῳ αὐτοῦ καὶ ἐπισκήψεις τινὰς παρ' αὐτοῦ λαβεῖν», tamen Augustum ante Tiberii adventum de vita decessisse sibi persuasit et Liviam timentem, ne Romani Tiberio absente res novas molirentur, mortem celasse, quoad hic adveniret «ταῦτα γὰρ οὕτω τοῖς τε πλείοσι καὶ τοῖς ἀξιοπιστοτέροις γέγραπται». Nec tamen dubitari potest, quin ea, quae Velleius atque Suetonius memoriae prodiderunt, praeferenda sint Dionis explicationi et Taciti. Nam hic, ut in aliis rebus narrandis alienus erat a Tiberio, ita in hac materia explicanda ei est iniquus. Neque enim ea quae affert, ut legenti persuadeat Augustum a Tiberio exanimem esse repertum, ullius sunt momenti, quod veri est simillimum Liviam homines ab Augusti domo prohibuisse, ut valetudini eius parceret (cf. Sievers p. 12). Dio autem eodem quo Tacitus fonte hoc loco usus minore cum diligentia eum exscripsit (cf. Horstmann[10] p. 19 et 22); qui fons quam iniquus Tiberio fuerit, alio loco ostendemus. Nec vero modo in morte Augusti narranda Tacitus atque Dio a Velleio discrepant, sed etiam in ratione describenda, quae illi intercesserit cum Tiberio. Nam Velleius Tiberium summo in amore ac favore Augusto fuisse narrat (cf. 123, 2 «*carissimi sibi spiritus*»), Tacitus autem (ann. I, 5) et Dio (56, 45) tantum abest, ut familiaritatem Tiberio cum Augusto intercessisse putaverint, ut magna ex

parte fidem habuerint iis, qui Tiberium ab Augusto successorem destinatum esse dicebant, ut, cum ille saevus atque arrogans esset, hominibus quam maximum sui desiderium iniceret. Age quaeramus hanc dissensionem qualis sit. Atque ut Tacitum ita Dionem, qui «*communi eoque uno tantummodo fonte*» hoc loco usi sunt (cf. Froitzheim[11] p. 30), rumores reddidisse falsos satis ostendit Suetonius, qui litteras affert ab Augusto ad Tiberium missas familiarissimas; cf. Aug. 71. 76. 92; Tib. 21; Claud. 4. Nec vero modo inanis fama illa erat, sed etiam divulgata ab hominibus, qui contumeliam in Tiberium iacere non veriti sunt. Non enim Tiberium illa aetate saevo ingenio fuisse intellegitur ut ex Horatii verbis epist. I, 9, 4: «*legentis honesta Neronis*» et II, 2, 1: «*bono claroque Neroni*» ita ex Taciti ann. VI, 51: «*egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit*». Neque unquam dissenserunt Augustus et Tiberius nisi quo tempore hic Rhodum decessit (a. 6 a. Chr. n.). Tum indignatus est ille, quippe cum Tiberius et Iuliam uxorem, quae erat illius filia et cuius de lascivia pater illo tempore certior nondum factus erat, repudiatam Romae relinqueret (Tac. ann. I, 53; Suet. Tib. 10) et ipsum desereret; cf. Suet. Tib. 10: «*neque vitrico deseri se etiam in senatu conquerenti veniam dedit*» et Tib. 11: *dimitteret omnem curam suorum, quos tam cupide reliquisset*». Unde fama illa emersit Tiberium «*dominationem donum accepisse matris*» (Tac. ann. IV, 57 etc.). Liviae enim «*impensissimis precibus*» (Suet. Tib. 13) Augustus commotus est, ut Tiberium Romam redire concederet (a. 2 p. Chr. n.). Familiaritas autem pristina Tiberio cum Augusto intercessit, quo tempore Lucius Caesar mortuus et Gaius vulneratus est (a. 3 p. Chr. n.). Atque improbanda est sententia Dionis, qui 55, 27 Tiberium annis 4 sqq. in Germania bellum gerentem quam saepissime Romam profectum esse scribit cum negotiorum causa tum timentem, ne quem Augustus absenti praeferret: «ἐς τὴν πόλιν, ὁπότε παράσχοι, συνεχῶς ἐσεφοίτα, τὸ μέν τι πραγμάτων τινῶν ἕνεκα, τὸ δὲ δὴ πλεῖστον φοβούμενος μὴ ὁ Αὔγουστος ἄλλον τινὰ παρὰ τὴν ἀπουσίαν αὐτοῦ προτιμήσῃ». Quibus cum verbis si contuleris ea quae Suetonius Tib. 15 sq. narrat, Velleium laudabis,

qui 105, 3 Tiberium hieme in urbem tractum esse tradit «*pietate sua*».

Qui fuerint eo tempore, quo Augustus e vita decessit, Romanorum animi, Velleius 124, 1 depingit. Atque iustam ac veram esse hanc descriptionem ex iis, quae Tacitus ann. I, 4 et 7 narrat, satis potest cognosci. Nec tamen facere possum, quin quam iniquus Tiberio Tacitus fuerit, paucis hoc quoque loco ostendam. Non enim quisquam negabit statum rei publicae Romanae tum eum fuisse, ut bellum civile extitisset, nisi Tiberius «*stationi*» (Vell. II, 124, 2) Augusti successisset, cum praeter eos viros, qui successionem sibi vindicare potuissent, senatus certe, ut imperium a Caesaribus sibi ereptum recuperaret, contendisset. Quod ita se habere Romanis ipsis tum erat persuasum; itaque prompti Tiberium salutaverunt imperatorem. Attamen Tacitus adulationem atque humilitatem magistratibus, senatui, populo crimini dat, quia in verba Tiberii iuraverunt: «*at Romae ruere in servitium consules, patres, eques. quanto quis illustrior*» etc. Atque etiam sermones hoc loco Tacitus reddit, quos inanes et malignos esse ipse docet III, 37 et VI, 51. Neque enim fieri potuit, ut Tiberius ante annum 14 «*secretas libidines*» meditaretur, cum usque ad annum 21 «*nullis voluptatibus*» caperetur, neque, ut «*multa iudicia saevitiae*» erumperent, cum usque ad annum 14 «*egregius*» esset «*vita famaque*». Ceterum hic qua ratione Velleius atque Tacitus in rebus aestimandis versati sint, maxime perspicitur. Nam ille bellum civile appellat «*orbis ruinam*» et eos, qui Caesaris partium erant, «*bonos*», hic eos, qui Tiberio favebant, adulatores atque servos esse dicit et liberam rem publicam, quamquam bello civili opus fuisset ad eam restituendam, tamen laudat; cf. I, 3 sq.: «*quotus quisque reliquus, qui rem publicam vidisset? igitur verso civitatis statu*» etc. «*pauci bona libertatis in cassum disserere*».

Atque haec hactenus. Iam porro illa consideremus, quae Velleius reddit 124, 2. Neque reprehendere eum possumus in eo, quod senatum populumque Romanum cum Tiberio pugnavisse tradit, cum illi, ut «*stationi*» paternae Tiberius

succederet, contenderent, hic potius aequalem civem quam eminentem principem agere vellet. Nam et senatum populumque Romanum post mortem Augusti statim in verba Tiberii iurasse omnibusque precibus eum, ut imperium susciperet, orasse atque obsecrasse et Tiberium, ne Augusto succederet, — quamvis re vera imperium repudiare noluerit, tamen — recusavisse testes sunt Tacitus I, 7. 13, Suetonius Tib. 24, Dio 57, 3. Sed discrepant a Velleio Tiberium recepisse imperium scribente «*magis ratione quam honore victum, cum quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret*» et Suetonius et Tacitus et Dio. Etenim Suetonius (Tib. 25) Tiberium avidum fuisse principatus occupandi reddit neque cunctatum esse nisi ob «*discrimina undique imminentia*». Quorum discriminum affert quattuor: unum quod Clemens, servus Agrippae, manum non contemnendam in ultionem domini comparaverit, alterum quod L. Scribonius Libo res novas clam sit molitus, tertium quod duplex seditio in Illyrico et in Germania exorta sit, quartum quod Tiberius timuerit, ne Germanicus a legionibus, ut rerum potiretur, rogatus principatum affectaret. Tacitus autem aeque non dubitat atque Suetonius, quin Tiberius avidissimus fuerit regnandi (ann. I, 7. 11 sqq.); verum eum hanc cupiditatem dissimulavisse scribit varias ob causas, quarum affert tres (I, 7): «*causa praecipua ex formitudine, ne Germanicus, in cuius manu tot legiones . . . habere imperium quam expectare mallet. dabat et famae, ut vocatus electusque potius a re publica videretur, quam per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse. postea cognitum est ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem: nam verba, vultus in crimen detorquens, recondebat*». Quae Tacitus, eadem fere reddit Dio (57, 3), quippe cum eundem quem ille fontem in his rebus explicandis exscripserit (cf. Froitzheim p. 27).

Quae sit dissensio habes: videamus quid de ea sit existimandum. Atque ita quaestionem tractabo, ut primum de argumentis disputem, quae, quibus Tiberium ob metum imperium recusavisse ostenderent, Suetonius atque Tacitus attulerunt, tum quid sit iudicandum de Tiberii

regnandi aviditate, examinem, post fidesne Velleio habenda sit, quaeram.

Neque quae afferuntur a Suetonio causae, probari possunt. Non enim fieri potuit, ut Tiberius Clementem timeret, quippe cum neque Agrippa interfectus esset, quo tempore Tiberius «*stationem*» Augusti recusabat, neque Clemens, ut mortem eius ulcisceretur, manum comparare posset; cf. Suet. Tib. 22; Dio 57, 3; Tac. ann. I, 6; II, 39 sq. Drusum autem Libonem Tiberius non metuit, quoniam duobus annis post eum res novas moliri delatum est; cf. Tac. ann. II, 27. Ut in Clemente et Libone commemorandis Suetonius tempora confudit, ita in seditione militum narranda; nam milites incitati sunt postquam Tiberius «*stationem*» Augusti suscepit; neque milites contra Tiberium coniuraverunt, sed propter spem praemiorum; cf. Tac. ann. I, 16: «*Pannonicas legiones seditio incessit nullis novis causis nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum et ex civili bello spem praemiorum ostendebat*» et I, 31: «*isdem ferme diebus, isdem causis Germaniae legiones turbatae*». Germanici denique metus Tiberio causa non fuit cunctandi, quod, ne principatum ille appeteret, non timebat. Etenim Germanicus a Tiberio «*imbutus rudimentis militiae*» stipendia sub eo meruit annis 7—11 (cf. Vell. II, 129, 2; Dio 55, 31; quo loco Dionem Tiberio obtrectare manifestum est; non enim Augustus ab eo bellum trahi credere potuit, cum gentes imminentes Italiae intra unum annum domari non posse certe non ignoraret). Quo fieri potuit, ut Tiberius ingenium et mores Germanici plane cognosceret. Qui, quamquam Agrippinam, feminam regnandi avidissimam (cf. Tac. ann. I, 33; II, 72; IV, 12; Dio 57, 6; Suet. Tib. 53), in matrimonio habebat, tamen imperium numquam appetebat. Quod ita se habere ex scriptis Suetonii, Taciti, Dionis satis potest intellegi. Namque Suetonius Tib. 25 Germanicum militibus ad capessendam rem publicam urgentibus «*obfirmate*» restitisse scribit. Dio autem 57, 18 narrat haec: «οὔτε πρὸς τὸν Δροῦσον ἐπίφθονον οὔτε πρὸς τὸν Τιβέριον ἐπαίτιον ἔπραττεν» . . . «δυνηθεὶς γοῦν πολλάκις καὶ παρ' ἑκόντων, οὐχ ὅτι τῶν στρατιωτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῦ δήμου τῆς τε βουλῆς,

τὴν αὐτοκράτορα λαβεῖν ἀρχὴν οὐκ ἐθέλησεν». Tacitus denique, quamquam I, 33 Germanicum anxium fuisse tradit «*occultis in se patrui odiis, quorum causae acriores quia iniquae*» (cf. II, 26), et multis locis eum Tiberio in invidia atque odio fuisse affirmat (II, 5. 22. 26. 42. 43 etc.), tamen nusquam certa affert argumenta, quibus id verum esse ostendat; immo vero Germanicum uxorem monuisse testis est, ne nimis indulgeret aviditati suae regnandi (ann. I, 33; II, 72); atque etiam eum Tiberii amicitia numquam non confisum esse auctor est; cf. ann. II, 71: «*nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miserrimam vitam pessima morte finierim*». Neque aequales inimicitias Tiberio cum Germanico esse putabant; etenim huius mortem doluerunt «*officium in principem rati*»; cf. Tac. III, 1. Atque etiam Germanicus, ut principatum appeteret anno 14, tantum afuit, ut et impense pro Tiberio niteretur (Tac. ann. I, 34) et milites incitatos sedare conaretur «*praecipuis laudibus celebrans quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset*» Tiberius (ann. I, 34. 42). Nec vero modo non invidebat Tiberius Germanico, sed etiam eadem amicitia atque caritate eum complectebatur atque Drusum filium suum. Etenim cum honores sibi matrique a senatu oblatos a. 14 recusaret, Germanico perpetuum imperium proconsulare petivit (Tac. ann. I, 14; cf. Nipp. adn.) et summis eum donavit ornamentis ob res in Germania gestas (Tac. ann. I, 55. 58; II, 41 sq.). Accedit quod Tacitus commode scribit et II, 44: «*Tiberius se tutiorem rebatur utroque filio legiones obtinente*» et III, 56 «*cum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuisset*» (scil. Tiberius inter Drusum et Germanicum). Fratres autem «*egregie concordes et proximorum certaminibus inconcussi*» erant, Tac. II, 43. — Quoniam inania esse argumenta vidimus, quae quibus Tiberii cunctationem probaret, Suetonius attulit, iam porro illa consideremus, quae protulit Tacitus. Quorum primum nullius momenti esse cognovimus: quare ad alterum illico accedamus. Atque mitto dicere de verbis «*per uxorium*

*ambitum*»; nam Liviam neque ad Tiberium adoptandum neque ad successorem destinandum permultum valuisse supra ostendi. Nec vero prorsus inepte dicebatur Tiberium vocatum electumque a re publica videri maluisse quam senili adoptione irrepsisse. «*Statio*» enim Augusti, quamquam satis firma erat, tamen non ea erat, quae ab illo ad heredem sine dubitatione deferri posset. Itaque suo iure Tiberius principatum arripere cunctatus est, cum hoc modo intellegere posset et neminem secum de eo decertaturum esse et senatui populoque Romano persuasum esse rem publicam extare non posse nisi sub unius viri imperio; cf. Tac. ann. I, 4: «*postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur* (scil. Augusti) *aderatque finis et spes novae, pauci bona libertatis in cassum disserere, plures bellum pavescere*». Tertiam autem causam, quam Tacitus affert, non modo ineptam sed etiam fictam esse, ut Tiberii ingenio moribusque obtrectaretur, Sievers p. 16—19 satis ostendit. Neque quidquam addam nisi verisimile esse auctorem Tacito atque Dioni communem a Tiberio fuisse alienum; nam hoc usus uterque hanc materiam explicavit (Horstmann p. 19 sqq., Froitzheim p. 26 sq., Sickel[12] p. 38 sqq.).

Quae quidem de prima parte quaestionis; iam de aviditate illa regnandi quid sit iudicandum, doceamus. Atque hoc dico: certa quibus Tiberium regnandi avidum fuisse probetur, argumenta non inveniuntur. Neque enim Tacitus praeter iudicium sive ab ipso latum sive ex fonte haustum, unde aviditas illa cognosci posset, argumenta reddidit neque Suetonius neque Dio. Iniquos autem Tiberio in descriptione huius materiae fuisse et Suetonium et Tacitum Dionemque vidimus. Itaque iis fidem habendam non esse censeo, si dissentient ab alio scriptore.

Quae cum ita sint, paucis possumus disserere, id quod tertium est propositum, de Vellei fide. Neque eos possum laudare (ex. gr. nom. Goeke p. 27), qui porsus a fide historica hoc loco eum abhorrere putant. Quin etiam ego non dubito fidem scriptori habere. Neque enim verba eius: «*cum quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret*» repugnant

sententiae illi, quam ex altero Taciti argumento enucleavimus (dico nemini tum non persuasum fuisse indigere rem publicam Romanam regni). Verba autem «*ratione magis quam honore victum*» quominus iusta esse putemus, non potest obstare aviditas illa regnandi, quam Tiberio crimini dant Suetonius, Tacitus, Dio, praesertim cum non omni careant confirmatione; nam Tiberium honores non modo non appetivisse sed etiam repudiasse cognoscitur et ex Suetonii Tib. 26 sq. et ex Dionis 57, 8 sq. et ex Taciti ann. I, 14. 72; II, 87; III, 47. 65 etc. Ceterum Tiberius, si honores reapse appetitos specie recusasset, nihil aliud fecisset, nisi quod facere solebat Augustus; cf. Dio 55, 6; 56, 28.

Iam ad ea aggrediamur, quae Velleius scribit 124, 3: «*post redditum caelo patrem et corpus eius humanis honoribus, numen divinis honoratum, primum principalium eius operum fuit ordinatio comitiorum*». Quae vera esse testes sunt Suetonius Aug. 100, Tacitus ann. I, 8 et 15, Dio 56, 34 sqq. Atque Augustum Tiberio, quem ad modum comitia ordinaret, testamento praescripsisse Velleius solus nos docet. Reprehendendus autem est Tacitus in eo, quod I, 6 quippe homo Tiberio iniquus «*primum novi principatus facinus*» caedem Agrippae appellat, quam Tiberio crimini dare studet. Neque enim ex iis, quae Suetonius Tib. 22 et Dio 57, 3 referunt, perspici potest Agrippam interfectum esse iussu Tiberii; quin etiam verisimile esse Augustum, ut Agrippa interficeretur, imperavisse Suetonius auctor est.

Sed de ea re alias: nunc transeam ad Vell. II, 125, 1. Quo loco scriptor populum Romanum gratiam Tiberio habuisse tradit, qui princeps extitisset. Quae non abhorrent a fide. Neque enim potest dubitari, quin Romani bellum civile devitaverint, quia Tiberius «*stationi*» Augusti successit; cf. Tac. ann. I, 5; «*plures bellum pavescere, alii cupere*». Quae 125, 1 sq. de seditionibus anno 14 a militibus in Germania et in Illyrico factis Velleius narrat, ea vera esse satis potest cognosci ex iis, quae apud Tacitum ann. I, 16—49 et apud Dionem 57, 4 sq. scripta sunt. Atque iure 125, 3 laudari ea quae Tiberius, ut milites sedaret, fecit, ex rebus quas refert

Tacitus I, 24 sq., 46 sq., 52, quamquam in narratione Tiberio obtrectare studet, tamen satis patet.

Quo modo Tiberius annis 14—29 rem publicam administraverit, Velleius quam brevissime describit II, 126. Atque consentire eius verba cum rebus a Tiberio gestis annis 14—19 testes sunt Tacitus ann. I—II; Dio 57, 7—18; Suetonius Tib. 26—40. Ita, ut singula enumerem, Augustum deum factum esse confirmatur Dionis 56, 46; leges autem observatas esse et iustitiam cultam probatur Taciti ann. I, 75: «*nec patrum cognitionibus satiatus iudiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret; multaque eo coram adversus ambitum et potentium preces constituta*»; cf. ann. II, 34; Suet. Tib. 33; Dio 57, 7. Atque etiam magis leges sub Tiberio viguisse quam sub Augusto patet ex Dionis 57, 10. Seditionem e foro summotam esse auctor est etiam Suetonius Tib. 37, ambitionem e campo Tacitus ann. I, 15; Augustum autem frustra leges dedisse de ambitu cognoscitur ex Dionis 54, 16 et Suetonii Aug. 34. 40. Non modo magistratuum auctoritatem Tiberius amplificavit restituendo (cf. Suet. Tib. 30 sqq.; Dio 57, 11; Tac. ann. I, 75) sed etiam senatus; nam et ipse restricte observavit, ne officia senatus deminuerentur (Suet. Tib. 30 sqq.), et patres ipsorum dignitatem servare utique voluit (Suet. Tib. 35); quare adulationes patrum vehementer refutavit (cf. Tac. ann. I, 72; II, 87; Suet. Tib. 26 sq.,) neque in senatu versatus est nisi ut princeps inter aequales (Suet. Tib. 29; Dio 57, 7. 11. 15. 17; Tac. ann. I, 74: «*manebant etiam tum vestigia morientis libertatis*» et II, 34). Theatralem compressam esse seditionem probatur Suetonii Tib. 37 et Taciti ann. I, 54. 77. Verba autem Vellei: «*recte faciendi omnibus aut incussa voluntas aut imposita necessitas: honorantur recta, prava puniuntur, suspicit potentem humilis, non timet, antecedit, non contemnit humiliorem potens*» confirmantur Dionis 57, 7—11, Suetonii Tib. 32—37, Taciti ann. II, 85. Ut annonam a Tiberio moderatam esse testis est Tacitus ann. II, 87, ita latrocinia ab eo sublata Suetonius Tib. 37. «*Magnificam Tiberii in publicum largitionem*» laudat Tacitus ann. II, 47 sq. et commemorat Dio

57, 10. 17. Urbes Asiae anno 17 motu terrae dirutas Tiberius restituit (Tac. ann. II, 47). Ne provinciae vexarentur, diligenter providebat; cf. Tac. ann. II, 56; Dio 57, 10; Suet. Tib. 32; «*boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere*». Verba denique Vellei: «*superatur aequitate gratia, ambitio virtute; nam facere recte civis suos princeps optumus faciendo docet, cumque sit imperio maximus, exemplo maior est*» confirmantur Dionis 57, 7—11 et Suetonii Tib. 26—29. 33—34.

Sed post annum 19 (mortuo Germanico) Tiberium commutatum rem publicam quoque male administravisse Dio scribit 57, 13 et 19. Nec vero hic res affert, quibus iustum esse iudicium suum probet. Praeterea neque cum Suetonio consentit Tiberium scribente commutatum esse anno 26 (Tib. 41), neque cum Tacito, qui «*initium mutati in deterius principatus*» anno 23 fuisse aperte dicit ann. IV, 6. Quin etiam annum 23 nonum fuisse «*compositae rei publicae*» sub Tiberio dilucide dicit Tacitus ann. IV, 1 et IV, 6 sq. rei publicae Romanae, quae fuerit sub Tiberio annis 14—22, imaginem exprimit, quae plane congruat cum Velleiana. Quod ut illustrem, utriusque scriptoris verba exscribam:

| (Vell. II, 126) | (Tac. ann. IV, 6 sq.) |
|---|---|
| «*revocata in forum fides, summota e foro seditio, ambitio campo, discordia curia, sepultaeque ac situ obsitae iustitia, aequitas, industria civitati redditae; accessit magistratibus auctoritas, senatui maiestas, iudiciis gravitas; compressa theatralis seditio, recte faciendi omnibus aut incussa voluntas aut imposita necessitas: honorantur recta, prava puniuntur, suspicit potentem humilis, non timet, antecedit, non contemnit humiliorem potens. quando annona moderatior, quando pax* | «*iam primum publica negotia et privatorum maxima apud patres tractabantur, dabaturque primoribus disserere, et in adulationem lapsos cohibebat ipse; mandabatque honores nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, illustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse. Sua consulibus, sua praetoribus species; minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu . . . Res suas Caesar spectatissimo cuique, quibus-* |

*laetior? diffusa in orientis occidentisque tractus et quidquid meridiano aut septentrione finitur, pax augusta omnis terrarum angulos a latrociniorum metu servat immunes. fortuita non civium tantummodo, sed urbium damna principis munificentia vindicat. restitutae urbes Asiae, vindicatae ab iniuriis magistratuum provinciae: honor dignis paratissimus, poena in malos sera, sed aliqua: superatur aequitate gratia, ambitio virtute; nam facere recte civis suos princeps optimus faciendo docet, cumque sit imperio maximus, exemplo maior est.»* *dam ignotis ex fama mandabat . . . Plebes acri quidem annona fatigabatur, sed nulla in eo culpa ex principe: quin infecunditati terrarum aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat. Et ne provinciae novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat . . . Si quando cum privatis disceptaret, forum et ius.»*

Haec autem Taciti descriptio quin vera sit, non est dubium. Neque enim — ut omittam Suetonium, qui Tib. 26 Tiberii mores atque facta depingit sic: «*civilem admodum inter initia ac paulo minus quam privatum egit*» et Tib. 33: «*paulatim principem exeruit, praestititque etsi varium diu, commodiorem tamen saepius et ad utilitates publicas proniorem*» — non, inquam, Tacitus Tiberium laudat nisi necessitate coactus et laudi eius quantum potest studet obtrectare. Quam Taciti iniquitatem saepe commemoratam hoc quoque loco paucis illustrem.

ann. I, 4 Tacitus, immemor suorum ipsius verborum VI, 51: «*morum quoque tempora illi* (scil. Tiberio) *diversa: egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit*», homines anno 14 disserentes facit sic: «*ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exul egerit, aliud quam iram et simulationem et secretas libidines meditatum*».

I, 74, quamquam memoriae prodidit I, 80 Tiberium «*vitia odisse*», III, 37 «*nullis voluptatibus*» eum esse «*avocatum*»,

IV, 67 usque ad annum 26 «*intentum*» eum fuisse «*publicas ad curas*», tamen scribit haec: «*sed Marcellum insimulabant sinistros de Tiberio sermones habuisse, inevitabile crimen, cum ex moribus principis foedissima quaeque deligeret accusator obiectaretque reo; nam quia vera erant, etiam dicta credebantur*».

I, 73 lites reddit Falanio ac Rubrio, equitibus Romanis, intentas, «*ut, quibus initiis, quanta cum Tiberii arte gravissimum exitium irrepserit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit, noscatur*»; nec vero quidquam refert nisi quod laudi est Tiberio.

I, 74 saevitiam increpat Tiberii oblitus reum laesae maiestatis absolutum repetundarum esse convictum.

I, 75 Tacitus concedere coactus in litibus iudicandis «*multa Tiberio coram adversus ambitum et potentium preces constituta*» esse, verba affert malitiosa: «*sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur*».

I, 75 Tiberium, quamquam «*erogandae per honesta pecuniae cupientem*» appellat, tamen reprehendit in eo, quod senatorum quemque dissolutum ac prodigum adiuvare noluerit; cf. Dio 57, 10: «τῶν δὲ βουλευτῶν συχνοὺς πενομένους καὶ μηκέτι μηδὲ βουλεύειν διὰ τοῦτ᾽ ἐθέλοντας ἐπλούτισεν. οὐ μέντοι καὶ ἀκρίτως αὐτὸ ἐποίει, ἀλλὰ καὶ διέγραφε τοὺς μὲν κ. τ. λ.»

I, 80 Tiberium «*vitia odisse*» scribit et «*a pessimis dedecus publicum*» metuisse; nihilo minus IV, 20 ad fatum potius quam ad Tiberii mores refert «*aequabilem auctoritatem et gratiam*», qua apud Tiberium vigebat Manius Lepidus, «*vir gravis et sapiens*».

I, 80 variis allatis causis, cur Tiberius legatos pro praetore quam diutissime in provinciis manere sivisset, veram reticuit: commodissimum enim erat provinciis (cf. Sievers p. 28).

II, 80 Tiberium «*callidum et novi iuris repertorem*» appellat, cum ab actore publico servos mancipari iusserit, quibus testibus uteretur in dominos. Quod verum non est. Immo Augustum id fecisse anno 8 a. Chr. n. auctor est Dio 55, 5.

II, 50 scribit haec: «*adolescebat interea lex maiestatis*» et adulteram maiestatis absolutam esse auctore Tiberio refert, adulterii damnatam.

II, 84, quamquam ipse II, 43 Agrippinam, uxorem Germanici, quae multis liberis aucta sit, celebrat, tamen Tiberii laetitiam increpat captam ex nepotibus natis geminis.

Iustum esse iudicium, quod fert II, 87 verbis: «*unde angusta et lubrica oratio sub principe, qui libertatem metuebat*» Tacitus (usque ad annum 19) nullo exemplo ostendit; quin potius et dicendi et scribendi libertatem sub Tiberio fuisse ipse testis est ann. I, 74; II, 50; III, 70; cf. Suet. Tib. 28; Dio 57, 9.

III, 31 et 37 Drusum, Tiberii filium, laudat, qui aliter ac pater «*in urbe, inter coetus et sermones hominum obversatus secreta patris mitigaverit, et Tiberium reprehendit in eo, quod ab urbe afuerit*»; rursus III, 59 Tiberii absentiam defendit et superbiam increpat Drusi.

Sed haec hactenus. Satis mihi videor ostendisse Tacitum iniquum fuisse Tiberio in eius vita, moribus, factis describendis neque esse, cur fidem ei denegemus Tiberium laudanti. Itaque veram a Velleio expressam esse imaginem rei publicae a Tiberio annis 14—23 administratae manifestum est. Sed iustam esse Velleianam descriptionem et congruere cum rebus etiam inde ab anno 23 a Tiberio gestis nunc opus est explicare.

Atque Tacitus scribit IV, 1: «*C. Asinio C. Antistio consulibus nonus Tiberio annus erat compositae rei publicae, florentis domus, cum repente turbare fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere*» et VI, 51: «*idem* (scil. Tiberius) *inter bona malaque mixtus incolumi matre*». Similiter autem atque Tacitus Dio iudicat, cum et saevitiam Tiberio crimini dat summam et nonnumquam eundem optime fecisse scribit; cf. 57, 24: τοσοῦτον μὲν δὴ τὸ διαλλάττον ἐν ταῖς Τιβερίου πράξεσιν ἦν». Suetonius denique Tiberium anno 23 immutatum esse non tradit, verum vitiosum factum narrat inde ab anno 26 (Tib. 41). Quae cum ita sint, nunc, quae egerit Tiberius annis 23—26, consideremus.

Quibus annis quas Tiberius gesserit res, Dio brevissime describit 57, 22—24; paulo autem fusius eas explicat Tacitus ann. IV, 7—56. Uterque nihil increpat nisi insatiabilem Tiberii crudelitatem. Quod diritatis crimen falsum esse longum est denuo illustrare singulis, quas Tacitus atque Dio memoriae prodiderunt, rebus examinatis; etenim satis bene de hac re disseruit Sievers p. 33—47. Qui comprobavit nequaquam Tiberium hominem fuisse tam saevi ingenii, qualem depingeret Tacitus, neque quidquam crimini ei esse dandum nisi damnationem Cremuti Cordi; cf. Tac. ann. IV, 34—35; Dio 57, 24. Equidem Karstenium secutus (p. 48) ne hanc quidem damnationem Tiberio crimini dem. Neque enim Tiberius Cordum damnavit neque senatum, ut eum condemnaret, commovit; quod si factum esset, certe aut Tacitus aut Dio commemorasset, quorum uterque Tiberio se praebet infestissimum. Neque reprehendi potest Tiberius in eo, quod senatui auctor non fuit, ut absolveret Cordum; nam hic Seiano maledixerat, homini Tiberio amicissimo. Accedit quod oppressa scribendi libertate sub Augusto (Tac. ann. I, 72; Suet. Calig. 16; Dio 56, 27) et scribendi et dicendi erat libertas sub Tiberio; cf. Tac. ann. I, 74; II, 50; III, 70; Dio 57, 9; Suet. Tib. 28. 59; C. Cominium, equitem Romanum, «*probrosi in Tiberium carminis convictum*» Tiberius poena liberavit (Tac. ann. IV, 31) neque iniuriam intulit iis, qui studiosi erant rei publicae liberae (cf. Tac. ann. III, 76). Ceterum, quomodo Tacitus res narraverit, ut saevitiam Tiberii ostenderet, facere non possum, quin paucis exemplis allatis illustrem.

ann. I, 73 Tiberium obiurgat de criminibus laesae maiestatis. Nihilo minus III, 24 et 28 Augustum «*culpam inter viros ac feminas vulgatam gravi nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis appellando*» et legum custodes praemiis inducendo auctorem fuisse delationum memoriae prodidit, Tiberium autem legum duritatem levasse. Praeterea hunc delatores quam maxime coercuisse testis est compluribus locis; cf. ann. III, 19. 28. 37. 56; IV, 36. Ne de luxuria quidem leges dedit Tiberius propter «*ingruentes accusatores*»; cf. ann. III, 52—54. 56.

Atque etiam auctor erat senatus consulti «*ne decreta patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur idque vitae spatium damnatis prorogaretur*»; cf. ann. III, 51.

III, 37—38 Tacitus scribit haec: «*Tiberium malas curas exercere; non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant*». In iis autem, quae sequuntur, duos delatores punitos esse scriptum est, «*quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petivissent*», et Caesium Cordum, Cretae proconsulem, repetundarum damnatum (ann. III, 70) et Macedonem quendam «*turbidum*» expulsum.

III, 66—68, et Tiberii increpat crudelitatem et accusatores obiurgat C. Silani, proconsulis Asiae. Nihilo minus ipse et haec verba scribit: «*nec dubium habebatur saevitiae captarumque pecuniarum teneri reum*», et cives urbium, quas feneratus esset Silanus, gratos Tiberio matrique eius ac senatui templum decrevisse.

IV, 18—19 accusatores immissos esse narrat in C. Silium Tiberio invisum propter amicitiam, quae illi intercessisset cum Germanico. Nec vero Tiberius Germanicum invisum habuit neque Silius de alio crimine condemnatus est nisi de repetundis, quarum re vera erat convictus.

Vera igitur ac iusta sunt verba illa, quae facit de Taciti scribendi ratione Ranke III, 2, p. 293: „Kaiser Tiberius mag strafen oder verzeihen, er wird überall mit auffallender Mißgunst behandelt". Similiter autem atque Tacitus Dio agit, ut Tiberium fuisse saevum probet. Quod quo iure dictum sit breviter, si placet, explicemus.

57, 15, Dio iudicium factum esse narrat de Druso Libone, cum morbo correptus esset (νοσήσαντα ἐπιθάνατον). Tacitus autem, qui fuse hoc iudicium narrat ann. II, 27—32, scribit haec: «*die senatus metu et aegritudine fessus sive, ut tradidere quidam, simulato morbo lectica delatus ad fores curiae*».

Neque magis liberos et cives a Tiberio tormentis deditos esse, id quod reddit 57, 19, Tacitus pro comperto habuit. Quo loco Dionem ea reddere voluisse verisimile est,

quae sunt apud Tacitum II, 30 ac III, 67; ex quibus Tiberium servos actori publico mancipari iussisse intellegitur, ut ex iis in dominos quaeri posset.

57, 22 statim Tiberium supplicium sumpsisse tradit de nonnullis eorum, qui Drusum filium interfecissent. Quod abhorret, puto, a veritate; nam qui Drusum necassent, eos iudicatos esse octo annis post ipse auctor est 58, 11 et Tacitus ann. IV, 8.

Infestissimus Tiberio invenitur Dio 57, 20. Quo loco eum senatus consulti, ut de iis, qui capitis damnati essent, decem diebus post damnationem supplicium sumeretur, auctorem fuisse scribit «οὐχ ὅτι ἐκεῖνος ἐκολάσθη, ἀλλ' ὅτι τις ὑπὸ τῶν βουλευτῶν ἄνευ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης ἐθανατώθη».

Atque haec hactenus. Satis perspicuum est et Tacitum et Dionem, cum saevum ingenium Tiberii ostendere studerent, ei ita infestos fuisse, ut et falsa memoriae proderent et sibi ipsi discreparent.

Nec vero modo in crudelitate Tiberii illustranda uterque scriptor iniquus invenitur principi, sed etiam in explicatione aliarum rerum ab eo gestarum annis 23—26. Quo loco omittere non possum rem, quae, qua ratione Dio versatus sit in narrandis Tiberii rebus gestis, bene illustret. Etenim, cum initium sumit scribendi 57, 1—6, Tiberii ingenium moresque depingit coloribus tristissimis; nihilo minus eum principem optimum fuisse narrat 57, 7—12. Quam discrepantiam ut tollat, Tiberium rem publicam bene administravisse scribit 57, 13. 19 metuentem Germanicum. Neque tamen Tiberium sex per annos bonum fuisse verisimile est propterea, quod aemulum timeret; ac ne invidit quidem Germanico neque eum timuit; nec mortuo Germanico mores Tiberii sunt immutati. Extitisse autem videtur discrepantia, cum tristem imaginem ingenii Tiberii, quam expressit auctor, Dio redderet, multis autem rebus a Tiberio bene gestis adduceretur, ut optime rem publicam annis 14—19 administratam esse concederet. Qua in re cautius fonte usus est Tacitus. Qui cum eodem modo quo Dio quam atrocis-

simum Tiberii ingenium depingeret, efficere semper studebat, ut cum hoc ingenio consentirent Tiberii res gestae. Itaque iudicia semper commiscuit cum narrandis rebus. Quae iudicia quam saepe iniusta sint ac falsa et novimus et cognoscemus: Neque anno 19 principatus in deterius mutatus est neque anno 23, id quod scribit Tacitus IV, 1. 6. 7; quin etiam eadem ratione, qua annis 14—22, Tiberius rem publicam administravit annis 23—26. Ita anno 23 eodem modo quo 17 urbes Asiae motu terrae labefactas eum sublevasse legimus apud Tacitum ann. IV, 13. Iustitiam autem eum coluisse post annum 23 testis est idem ann. IV, 13. 22. 31. Et provinciis consuluit Tiberius (Tac. ann. IV, 15; Dio 57, 23) et auctoritati magistratuum (Tac. ann. IV, 9); histrionum autem immodestiam similiter cohibuit anno 23 atque annis 15 et 22; cf. Tac. ann. I, 54. 77; Suet. Tib. 37; Dio 57, 21. Neque liberalitate carebat annis 23—26, id quod intellegitur ex Tac. ann. IV, 64 et «*validus erat spernendis honoribus*»; cf. ann. IV, 37. Bonum denique Tiberium fuisse Tacitus ipse concedit ann. IV, 31 verbis usus his: «*quin ipse, compositus alias et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret*» (a. 24). Et gavisum eum esse beatis hominibus verbis quoque ipsius probatur, quae sunt apud Tacitum ann. IV, 37—38 (a. 25); quo loco quam iniquus Tiberio fuerit Tacitus vel auctor eius, ex eo cognoscitur, quod verba illa Tiberii interpretatur «*ut degeneris animi*». Quae cum ita sint, dubitari non posse censeo, quin Vellei descriptio praeferenda sit Taciti atque Dionis, praesertim cum comprobetur Suetoniana. Cautissime autem utendum esse Tacito atque Dione auctoribus neque obstare eos, quominus fidem tribuamus Velleio, magis elucebit, si consideraverimus, quam iniquus Tiberio fuerit auctor ille, quem communem secuti Dio et Tacitus Tiberii res gestas explicaverunt. Qui falsa memoriae prodere, ut Tiberii laudi obtrectaret, non dubitavit. Ita magna ex parte ficta sunt ea, quae narrantur de Augusti morte Tac. ann. I, 5 = Dio 56, 31; cf. p. 23. Neque aequum rerum scriptorem se praebuit auctor, ubi, quae ratio Tiberio intercessisset cum Augusto, narravit (Tac. ann. I, 5 =

Dio 56, 45), neque, ubi explicavit, cur principatum Tiberius recusasset (Tac. ann. I, 7 = Dio 57, 3); cf. p. 23 et 26 sq. Infestissimus autem Tiberio cognoscitur, cum quae ratio ei interfuerit cum Germanico explicat; Tac. ann. I, 7 = Dio 57, 3; I, 31—52 = 57, 4—6; II, 69. 72. 73; III, 2 = 57, 18; cf. p. 27 sqq. Atque adeo Tiberio auctor obtrectavit, ut ne Tacitus quidem fidem haberet verbis eius omnibus; Tac. ann. I, 76 = Dio 57, 14; I, 76. 79 = 57, 14. Iniquus invenitur etiam in narranda causa Drusi Libonis (Tac. ann. II, 27—31 = Dio 57, 15); etenim, quamquam in medio reliquit, utrum timore fractus fuisset Libo an aegritudine, cum iudicium exerceretur, tamen, ut saevitiam Tiberii increparet, mortifero morbo affectum illum tractum esse in curiam studuit probare; Tac. ann. II, 29 = Dio 57, 15. Maledictis denique neque in iis auctor abstinuit, quae de seditione Clementis servi memoriae prodidit (Tac. ann. II, 39—40 = Dio 57, 16), neque in iis, quae commemoravit de Archelao rege (Tac. ann. II, 42 = Dio 57, 17).

Reliquum est, ut, possintne conciliari quaeramus verba, quae sunt apud Velleium II, 126, cum iis quoque quae Tiberius fecit annis 26—29.

Atque perpaucas rerum iis annis gestarum memoriae prodidit Dio; neque enim quidquam commemorat nisi Titi Sabini mortem et Liviae (58, 1—2). Quibus in rebus narrandis mentitus est Sabinum supplicium subiisse indemnatum (58, 1 «ἀκρίτως ἐφθάρη»); nam Tacitus, qui pluribus verbis Sabini causam enarrat ann. IV, 68—70, nihil scribit nisi magna cum celeritate iudicatum esse (*«nec mora, quin decerneretur»*).

Plura quam Dio tradidit Tacitus; nec vero magis verba adaequat rebus, quin potius crescit iniquitas. Quod ut illustrem, satis est commemorare ea quae sunt ann. IV, 57. Quo loco homines credidisse scribit causas, cur Tiberius anno 26 Capreas profectus esset, tres: primam, quod Seianus Tiberio, ut proficisceretur, persuasisset, alteram, quod Tiberium puduisset corporis debilis ac taetri, tertiam, quod perferre non potuisset impotentiam Liviae matris. Neque, veraene ac iustae

sint causae allatae necne, examinat, nisi quod primam refutat, quam probaverat IV, 41. Sed aliam causam profert abscessus, cum scribit haec: *«plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit saevitiam ac libidinem cum factis promeret, locis occultantem»*. Nec vero saevitiae crimen iustum est neque libidinis. Namque Tiberium non modo non saevi ingenii fuisse, sed etiam saluti hominum semper consuluisse vidimus. Libidinosum autem eum fuisse ante annum 23 Tacitus ipse negat III, 37: *«nullis voluptatibus avocatus»* et VI, 51: *«egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperio sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere»*. Neque intellegi potest, quo modo factum sit, ut Tiberius, postquam per sexaginta quinque annos virtute excellens fuit, libidini subito se dederet. Quo loco nihil cognoscitur nisi iniquitas Taciti, qui, licet ipse III, 31 et 59 Tiberium anno 21 in Campaniam profectum esse narraverit firmandae causa valetudinis, tamen veram causam, cur Tiberius Capreas decessisset, senectutem fuisse non concesserit. Verum enimvero quia requiete indiguit, Tiberius decessit ex urbe, ut adulationes fugeret et insidias (cf. Suet. Tib. 28. 38. 59; Dio 57, 9. 14 etc.), praesertim cum filium amisisset unicum. Qua re comites fere non habuit nisi litteratos cf. Tac. ann. IV, 58; etenim otio se dare voluit litterato, quo caruerat ex quo Rhodo redierat Romam.

Quae cum ita sint, una descriptio, quacum comparari possit Velleiana, reliqua est Suetoni. Qui Tib. 41 Tiberium immutatum esse scribit anno 26. Atque res publica Romana ut peius administraretur, fieri potuisset, si re vera Tiberius omnem rei publicae curam abiecisset, id quod scribit Suetonius. Nec vero id verum est; namque Tiberium annis quoque 26—29 rei publicae sedulo consuluisse ex iis, quae breviter commemorat Tacitus ann. IV, 57—V, 5, satis potest cognosci. Ita deusto monte Caelio anno 27 homines sublevavit *«tribuendo pecunias ex modo detrimenti»*; cf. ann. IV, 64. Relatum autem est ad eum anno 28 de causa Titi Sabini (ann. IV, 68—70) et in componenda rebellione Frisiorum summam habuit imperii (ann. IV, 74). Anno denique 29

«*magnitudinem negotiorum per litteras excusavit, quod supremis in matrem officiis defuisset*» (ann. V, 2). Quae verba Tiberii a veritate non ita possunt recedere, quam censet Tacitus; etenim principem usque ad annum 27 intentum fuisse publicas ad curas testis est ipse ann. IV, 67; curam autem rei publicae eum non modo non abiecisse mortuis propinquis, sed etiam remedium ea quaesivisse doloris et Tacitus auctor est ann. IV, 13: «negotia pro solaciis accipiens» et Dio 57, 14; 58, 2: «Τιβέριον ἐπαινέσαντες ὅτι τῆς τῶν κοινῶν διοικήσεως οὐδὲ τότε ἀπέσχετο». Non igitur, licet quaesiverit requietem, Tiberius abstinuit cura rei publicae. Qua re, si huius status permutatus est, principem ipsum commutatum esse necesse est. Sed Tiberium, postquam per sexaginta octo annos vitam egit honestissime et per tredecim annos rem publicam administravit optime, subito plane immutatum esse credi vix potest. Quod fieri non potuit nisi amissa mente. Nec vero huius rei ullum indicium extat. Quare alio modo difficultas est tollenda. Et tolletur, si Suetonium inde a capite 41 vitam Tiberii descripsisse probatum erit similis notae fonte usum, atque Dionem et Tacitum locis laudatis. Neque defuerunt, qui alio modo Tiberii res gestas eum reddidisse contenderent ante caput 41 ac post caput 41. Ita Ranke III, 2, p. 334—336 nonnullis exemplis allatis Suetonium inde a capite 41 non aequo auctore usum esse probat, sed obtrectante Tiberio et favente Iuliis. Similiter autem atque Ranke et Karsten p. 19 adn. Suetoni vitam Tiberianam in duas partes divisam esse censet et Thamm. Qui p. 38—39 iudicium fert hoc: «*Suetonius diversis temporibus partes vitae Tiberianae descripsit. primo tempore principis mores pro bonis civilibusque habuit. deinde ad aliam sententiam adductus Tiberium monstrum fuisse contendit*» et posteriorem partem Suetoni descriptionis repugnare priori illustrat sex locis inter se comparatis (Tib. 43 = 7, 50 = 11, 52 = 39). Quorum virorum sententiam laudo et comprobo. Etenim, qui usque ad caput 41 verba adaequavit factis, inde ab hoc capite tam inique res narrat Suetonius, ut falsa tradere non veritus sit. Quod quam verum sit paucis illustretur.

Ac primum Tiberium annis 26—29 curam rei publicae non abiecisse, id quod Suetonius scribit c. 41, vidimus. Neque vera sunt ea quae narrantur c. 41—45 de Tiberii libidine; cf. p. 41; Ranke III, 2, p. 335: „Es sind Phantasieen eines durchtriebenen Wollüstlings". Porro Tiberius reprehenditur c. 42 in eo, quod magistratus fecerit homines potu excellentes. Quibus de viris duos ex Taciti scriptis novimus, Pomponium Flaccum dico et L. Pisonem. Neque de Flacco, quamquam is erat Tiberio amicus, mali quidquam commemorat Tacitus; cf. Tac. ann. II, 32. 41. 66; VI, 27; quin etiam virum fuisse strenuum ex eo potest intellegi, quod inde ab anno 19 p. Chr. n. usque ad annum 33 Syriae pro praetore praefuit; cf. ann. II, 66; VI, 27. L. autem Pisonem, qui praefectus erat urbi per annos quindecim (a. 17—32), summis effert laudibus Tacitus ann. VI, 10. Videmus igitur viros illos a Tiberio magistratus factos non inertes fuisse neque potu eos esse prohibitos officiis strenue fungi. Porro nimiam parsimoniam et avaritiam Tiberii, qui neque opera ulla publica fecerit neque census senatorum expleverit, Suetonius increpat c. 46—47. Nec tamen Tiberius erat avarus; nam et opera ab eo esse extructa et senatores pecunia adiutos cum Tacitus testis est ann. II, 49; III, 72; III, 64; VI, 45 tum Dio 57, 10. Neque Tiberius invitus, id quod Suetonius scribit c. 48, populo, militibus, provinciis largitus est; immo munificum eum fuisse usque ad annum 33 et vidimus et Tacitus nos docet ann. VI, 17. Et mentitus est Suetonius c. 49, cum homines nonnullos a Tiberio pecuniae causa compulsos esse tradidit, ut mortem obirent; cf. Sievers p. 32 sq. Sibi autem ipse repugnat, cum c. 50 Tiberio in odio fuisse scribit Drusum fratrem; etenim hunc in amore illi fuisse scriptum est c. 7; cf. Sievers p. 10 sq. Neque consentiunt verba quae leguntur de Iulia c. 50, cum iis quae extant Aug. 65; cf. Ranke III, 2, p. 336. Porro Liviam Tiberio invisam fuisse Suetonius memoriae prodidit Tib. 50—51. Quod falsum esse ut illustrem, satis habeo verba afferre Taciti, quae sunt ann. V, 3: «*Tiberio inveteratum erga matrem obsequium*», et mentionem facere Karsteni disputationis p. 18—22.

Ac iam reliqua quae Suetonius inde a c. 41 memoriae prodidit non vera, omittam; nam satis perspicuum esse censeo, id quod supra propositum est, Suetonium in Tiberii vita describenda inde a c. 41 auctore usum ab eo alieno res reddidisse tam inique, ut nonnumquam a veritate recederet.

Nec vero modo inde a c. 41 auctorem secutus est Tiberio infestum similiter atque erat iste Dionis auctor et Taciti, sed etiam fonte usus est eodem quo hi.

Quod ita se habere iam ostendit Thamm. Qui quaestionis, num loci sint communes Suetonio cum Tacito, (p. 33—38) finem facit sic: «*usque ad Tib. 40 nulla similitudinis vestigia inveniuntur, in sequentibus autem particulis nonnulla*». et quaestionis, num sint communes cum Dione (p. 42—47) sic: «*non negare poterimus Suetonium et Cassium nonnumquam eodem fonte usos esse*». Etiam praeterea varia possunt afferri argumenta, quibus Suetonium eodem auctore a Tiberio alieno inde a c. 41 usum esse probetur, quo Tacitum ac Dionem. Quibus ex exemplis nonnulla satis habeo commemorare: Ut Suetonius c. 41 Tiberium Capreis cura rei publicae abiecta libidini indulsisse scribit, ita Tacitus ann. IV, 67: «*quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultos in luxus et malum otium resolutus*». Moderatam autem Tiberii liberalitatem erga senatores increpat uterque. Porro Suetonius aeque favet Iuliis atque Dio et Tacitus, quorum hic ann. IV, 68 eos, qui erant Agrippinae partis, appellat «*bonos*», qui erant Tiberii, «*iniquos*». Neque iudicium, quod fert de Tacito Sievers p. 21: „Tiber mag in seinem Verhältnis zu Livia thun, was er will, nichts findet Gnade in den Augen des Tacitus", iniustum est, si refertur etiam ad Suetonium; cf. p. 43. Eodem denique modo Lepidae causam narrat Suetonius c. 49, quo Tacitus III, 22—23; nam uterque Lepidae, adulterae degeneri, favet, quippe quae fuerit mulier nobilis, obtrectat Quirinio, quem virum fuisse fortem ac strenuum Tacitus ipse testis est III, 48, quippe qui fuerit homo novus.

Iam, quis fuerit auctor ille Tiberio iniquus, quem secuti sunt Tacitus, Dio, Suetonius, breviter quaeramus. Atque Tacitum annales adhibuisse senatoris cuiusdam, qui aequalis

fuisset Tiberio, Horstmann p. 50—55 verisimillimum esse docuit. Similiter autem atque Tacitus Dio historiam suam composuit; namque ut Tacitus, quamquam ea «*quae de rebus urbanis refert, ex actis senatus profecta sunt*» (Hoffmann, p. 3—31), tamen acta senatus non oculis perlustravit, sed «*per auctorem vel auctores ea plerumque adhibuit*» (Hoffmann, p. 32—51), ita Dio, qui aperte scribit 53, 19 se res inde a Caesarum temporibus gestas conscribere actis et commentariis publicis neglectis alios rerum scriptores secutum. De quo Sickel p. 38 iudicium tulit hoc: «*Dio in vita Tiberii describenda plurima — ne dicam omnia — ex uno scriptore hausisse videtur, quem cum aliis Tacitus et Suetonius adhibuerunt*». Suetonium denique scripta adhibuisse hominis nobilis atque eiusdem, cuius Tacitum, cognoscemus, si qua ratione causam Lepidae narraverit, consideraverimus. Et verisimile est hominem illum nobilem, qui auctor erat Suetonio, Tacito, Dioni, consularem eum esse, a quo annales compositos esse Suetonius commemorat Tib. 61; namque eadem ratione hoc loco auctor Suetoni iis, quae de Pacuvio memoriae prodidit, simulationem ac saevitiam Tiberii illustrare studet qua Tacitus ac Dio.

Quo modo historiam composuerit auctor, si quaerimus, laudanda videtur esse sententia Horstmanni, qui (p. 56) eum contexuisse atque copulasse censet ut acta senatus, quae Tiberio favissent, ita carmina in Tiberii iniuriam facta et ut ea, quae fama nuntiasset, ita ea, quae ipse aut vidisset aut audisset. Copiosa certe auctoris descriptio erat; etenim varias eum sententias diligenter comparasse atque adnotasse intellegitur ex eo, quod variorum virorum sententias nonnullis locis transcripserunt Tacitus, Dio, Suetonius; cf. Sickel p. 39—41. Atque copiosissime res narravit idoneas ad laudem Tiberii diminuendam. Quod ut tibi persuadeas, quanta cum diligentia rumores illi narrati sint, recorderis, qui erant de hominibus a Tiberio (et a Livia) veneno necatis; cf. Tac. ann. IV, 11: «*neque quisquam scriptor tam infensus extitit, ut Tiberio obiectaret, cum omnia alia conquirerent intenderentque*». Neque sine ira et studio historiam auctor ille conscripsit, sed Tiberio

principi obtrectavit, favit optimatibus, qui erant ei inimici. Quare Tiberium reprehendit in eo, quod homines novos, qui viri erant fortes ac strenui, in honore habuit; nomino Sulpicium Quirinium Tac. ann. III, 48, Lucilium Longum IV, 15, Poppaeum Sabinum I, 80; IV, 46; V, 10 etc., Curtium Rufum XI, 21 (*«Curtius Rufus videtur mihi ex se natus»)*; cf. Tac. ann. III, 22 sq. 29. 48; Suet. Tib. 49. Atque etiam in eo offendit, quod Tiberius, ne de legum auctoritate detraheretur, consuluit; neque enim optimates repetundarum accusati largitionibus efficere poterant, ne damnarentur (cf. p. 32 etc.), neque fieri potuit, ut pecunia publica averteretur; Dio 57, 10. Quo modo verba illa intelleguntur, quae sunt Tac. ann. I, 75 «*dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur*», itaque factum est, ut Tacitus duritatem Tiberii atque crudelitatem increparet damnato quaestore, qui convictus erat «*pecuniam ob rem iudicandam cepisse*» (ann. IV, 31), et postulatis legatis de repetundis (cf. p. 34 sq.). Summo autem dolore optimates affecti sunt, quod provinciis maxime consuluit Tiberius; nam in provinciis rem familiarem in urbe dissipatam restituere soliti Tiberii temporibus hoc facere prohibiti sunt; cf. Tac. ann. I, 2: «*neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur*». Itaque Tacitus invidiam Tiberio crimini dat, quod constituit, ut legati quam diutissime in provinciis manerent, cf. ann. I, 80; non enim multi hoc modo divitias in provinciis sibi parare poterant. Neque quamvis fuerit liberalis, crimen effugit avaritiae Tiberius, propterea quod pecunia non iuvit patricios indignos; cf. Tac. ann. II, 37 sq.; Suet. Tib. 47. Patricium denique a Tiberio alienissimum auctor se praebuit, cum homines temporibus Tiberii — quem summa cum diligentia rem publicam administrasse manifestum est; cf. p. 32; Tac. ann. III, 6. 12. 53 sq.; IV, 13 — rei publicae status qui esset (i. e. anno 21 p. Chr. n.) pertaesos vel bellum miserae illi paci proposuisse scripsit; cf. Tac. ann. III, 44; IV, 4; IV, 32: «*nobis in arto et inglorìosus labor, immota*

*quippe aut modice lacessita pax, maestae urbis res et princeps proferendi imperii incuriosus erat».*

Reliquum est, ut Tacitusne maxime fontem exscripserit an Dio an Suetonius, quaeramus. Atque Tacitus, ut polita oratione res reddidit (cf. Nissen p. 512: „Tacitus ist ein Meister der Darstellung; den ihm von der Quelle dargebotenen Stoff verarbeitet er wie der Bildhauer den rohen Marmor"), ita pluribus verbis. Neque enim Dio, quo modo res actae sint in senatu, fuse narrat neque res externas explicat (cf. Horstmann p. 11 sqq.). Similiter autem atque Dio Suetonius agit. Nec vero modo res, quas narravit auctor, optime Tacitus transcripsit, sed etiam iudicia, quae ille fecit; nam eodem modo quo hic de rei publicae statu sensit: uterque, cum causam agat optimatium, prisca tempora collaudat rei publicae liberae, quibus pauci tenuerint rem publicam (cf. Tac. ann. II, 37 sq.; III, 22 sq. 27. 48; IV, 3 etc.), a principatu, quamquam saluti erat multitudini hominum, tamen uterque est alienus; cf. Tac. ann. II, 88: «*dum vetera extollimus recentium incuriosi*».

Atque haec hactenus. Satis ex iis, quae sunt allata, exemplis intellegi potest iniquum fuisse auctorem, quem secuti Tiberii res gestas memoriae prodiderunt Tacitus, Dio, Suetonius (inde a capite 41), neque hos posse obstare, quominus fidem habeamus Velleio.

Quoniam verane essent ea, quae de universa forma Tiberii principatus Velleius scripsit II, 126, examinavimus, nunc singula, quae narrantur II, 129—130, perscrutemur. Atque vera esse ea, quae Velleius de Rhascupoli commemorat 129, 1, testes sunt Tacitus ann. II, 66 sq. et Suetonius Tib. 37. Ea autem, quae sunt 129, 2, omitto, quippe quae corrupte tradantur. Neque improbanda sunt verba, quae scriptor facit 129, 3 de Tiberii liberalitate; nam populo hunc largitum esse testantur Dio 57, 10. 17 et Tacitus ann. I, 75: «*erogandae per honesta pecuniae cupiens*», II, 47 sq.; IV, 6 sq. 13. 64; VI 17; verba autem Vellei: «*senatorum censum explevit, ut neque luxuriam invitaret neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui*» comprobantur et Dionis verbis 57, 10 et Taciti I, 75; II, 48: «*ut honestam innocentium paupertatem le-*

*vavit, ita prodigos et ob flagitia egentes movit senatu aut sponte cedere passus est»*. Quae deinceps Velleius narrat 129, 3 de Maroboduo et de Gallorum rebellione, ea confirmantur a Tacito ann. II, 46. 62 sq.; III, 40—47. Neque reprehendi potest in eo quod 129, 4 scribit sic: *«magni terroris bellum Africum et cotidiano auctu maius auspiciis consiliisque eius* (scil. Tiberii) *brevi sepultum est»*; nam bellum Tacfarinatis, cuius initium factum est anno 17 (Tac. ann. II, 52), quamquam Tacitus ann. IV, 23—25 id plane extinctum esse scribit anno 24, tamen maxima ex parte confectum est anno 22 brevi postquam suscepit Iunius Blaesus, qui consiliis usus est Tiberii; cf. Tac. ann. III, 73 sq.; IV, 23. Quae porro Velleius commemorat 130, 1 de aedificiis a Tiberio extructis, ea confirmant Dio 57, 10 et Tacitus ann. II, 49; III, 72; VI, 45: *duo opera Tiberius extruxit, templum Augusto et scaenam Pompeiani theatri»*. Ea denique quae sunt 130, 2 de Tiberii liberalitate et de delectu ab eo ad certam normam redacto, vera esse testes sunt Tacitus ann. IV, 64 et Suetonius Tib. 30. 48.

Quo modo Velleius res a Tiberio gestas descripsisset, satis explicatum arbitror. Sequitur, ut ea perscruter, quae de hominibus memoriae prodidit Tiberio vinculis et propinquitatis et affinitatis coniunctis.

Atque II, 101. 1 C. Caesarem paulo post Iuliae relegationem in Syriam missum *«tam varie se ibi gessisse»* scribit, ut *«nec laudaturum magna nec vituperaturum mediocri materia deficeret»*. Quod utrum verum sit necne, diiudicari non potest. Etenim orienti Gaium inde ab anno primo p. Chr. n. praepositum esse confirmatur et a Suetonio Tib. 12 et a Dione 55, 10 a et a Tacito ann. II, 4; III, 48; facta autem eius praeclara an mediocria fuerint, ex Dionis, qui solus ea fuse narravit, descriptione intellegi non potest, quippe quae mutila sit. Porro Velleius, cum Gaium in orientem profecturum Tiberium convenisse narrat, consentit cum Suetonio Tib. 12 (cf. epit. Xiphil. ad Dion. 55, 10—12), sed verbis usus: *«cui* (scil. Tiberio) *omnem honorem ut superiori habuit* (scil. Gaius)*»* et cum Suetonio discrepat, qui *«causam maiore*

*pravitatis»* fuisset, ille, Gaium ex Syria in Italiam nisi Augusti iussu non rediisse. Mortuum denique esse Gaium in Italiam rediturum Limyris (a. 4 p. Chr. n.), id quod Velleius scribit 102, 3, testes sunt Dio 55, 10 a et Tacitus ann. I, 3. Uno autem fere anno ante Gai obitum Lucium fratrem de vita decessisse (Vell. 102, 3) testantur cum Tacitus ann. I, 3 et Dio 55, 10 a tum Suetonius Aug. 65; qui undeviginti mensibus ante illum hunc mortuum esse narrat.

Iam transeamus ad ea quae Velleius memoriae prodidit de M. Agrippa, qui appellatur Postumus. Quem una cum Tiberio adoptatum esse reddit 104, 1, «*sed in Neronis adoptione illud adiectum*» esse «*his ipsis Caesaris verbis: hoc rei publicae causa facio*». Atque non minus ea vera esse quam, quae extant 112, 7 verba: «*hoc fere tempore* (i. e. a. 6—7 p. Chr. n.) *Agrippa . . . mira pravitate animi atque ingenii in praecipitia conversus patris atque eiusdem avi sui animum alienavit sibi*», testis est Suetonius Tib. 15. 21; Aug. 65: «*Agrippam ob ingenium sordidum ac ferox abdicavit seposuitque Surrentum* (scil. Augustus) . . . *Agrippam in dies amentiorem in insulam transportavit sepsitque insuper custodia militum. cavit etiam S. C., ut eodem loci in perpetuum contineretur*»; cf. Tac. ann. I, 3. 4. 6; Dio 55, 32. Neque Velleius reprehendi potest in eo, quod scribit: «*moxque crescentibus in dies vitiis dignum furore suo habuit exitum*»; etenim Agrippa ut violenti erat ingenii dum vivebat, ita per vim de vita decessit (a. 14 p. Chr. n.); cf. Suet. Tib. 22; Tac. ann. I, 6; Dio 57, 3. Utrum autem Tiberii an Liviae an Augusti iussu Agrippa interfectus sit, hoc loco in medio relinquam; nam verba sunt ea, quae Tacitus, Suetonius, Dio l. l. reddunt de Agrippae morte, non res; iniquum autem Tacitum fuisse in Agrippae morte describenda iam ex iis intellegitur, quae scribit Sievers p. 13.

Quo modo Drusus, Tiberii filius, se gesserit in componenda seditione militum Pannonicorum, Velleius narrat 125, 4. Vera autem esse ea, quae scriptor reddit, testatur etiam Tacitus ann. I, 24—30 (I, 29 «*promptum ad asperiora ingenium Druso erat*») et Dio 57, 4. Neque mentitus est

Velleius, cum Tiberium «*usum ministro et adiutore Druso filio suo*» Maroboduum finibus expulisse scripsit; nam confirmantur ea, quae narrat, a Tacito ann. II, 62. Suo denique iure scriptor 130, 3 Tiberium summo dolore affectum esse tradit morte Drusi filii. Nam quamvis Tiberius interdum filii mores non laudaverit (Tac. ann. I, 76; II, 44; Dio 57, 13—14) — qui certe pessimi non erant; nam et uxorem suam liberosque Drusus dilexit habuitque caros (Tac. ann. III, 34) et Germanici, quocum optima ei intercessit familiaritas (ann. II, 43. 51. 53), liberos mortuo patre tuitus est (ann. IV, 4) — tamen patris amore eum prosecutus est; cf. Tac. ann. I, 52: «*paucioribus Drusum . . . laudavit, sed intentior et fida oratione*»; II, 44: «*Tiberius se tutiorem rebatur utroque filio legiones obtinente*»; III, 37: «*ab eo* (scil. Druso) *in urbe inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari*»; Dio 57, 22: «τῷ δεῖ ἅτε καὶ μόνῳ καὶ γνησίῳ ὄντι προςέκειτο»; Tac. ann. III, 56: «*Tiberius . . . mittit litteras ad senatum, quis potestatem tribuniciam Druso petebat . . . quo tunc exemplo Tiberius Drusum summae rei admovit, cum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuisset*». Atque iniqui Tiberio inveniuntur et Suetonius (Tib. 52) et Tacitus (ann. IV, 8), qui eum alieno in filium animo fuisse scribunt, quod eo defuncto rei publicae administratione non abstinuisset. Non enim curam rei publicae abicere propinquis mortuis mos erat Tiberii; cf. Dio 57, 14. 22; 58, 2.

Porro Velleius 130, 3 Tiberium mortem nepotis «*ex Druso suo*» doluisse scribit. Quod verum esse testis est Tacitus ann. IV, 15: «*idem annus* (a. 23) *alio quoque luctu Caesarem affecit, alterum ex geminis Drusi liberis extinguendo*».

Sed haec parva sunt, veniamus ad maiora et, quo modo scriptor mentionem fecerit Agrippinae, Germanici uxoris, consideremus. Atque verba eius sunt haec: «*dolenda adhuc rettulimus: veniendum ad erubescenda est. quantis hoc triennium, M. Vinici, doloribus laceravit animum eius! quam diu abstruso, quod misserrimum est, pectus eius flagravit incendio, quod ex nuru . . . dolere, indignari, erubescere coactus*

*est!»* Quibus verbis non iniuste usus videtur esse. Etenim Agrippina femina erat non modo regnandi sed etiam rixandi avidissima; cf. Tac. ann. I, 33; II, 72; VI, 25; Dio 57, 6; Suet. Tib. 53. Quae laetata est morte Drusi, Tiberii filii, qua suis filiis spes iniceretur regni; cf. Tac. ann. IV, 12. Ac ne morbo quidem commoveri potuit, ut ultione abstineret; cf. Tac. ann. II, 75. Neque, quin Tiberium insectaretur, retineri potuit, nisi dum Germanicus coniux vivebat; cf. ann. I, 33: «*Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat*» et II, 72: «*tum ad uxorem versus* (scil. Germanicus) . . . *oravit, exueret ferociam, saevienti fortunae submitteret animum, neu regressa in urbem aemulatione potentiae validiores irritaret*». Mortuo autem coniuge quam plurimas Tiberio exhibuit molestias. Quod ut illustretur, satis est commemorare ea, quae sunt apud Suetonium Tib. 53 et apud Tacitum ann. IV, 52—54. Atque «*erubescere ex nuru*» Tiberium coactum esse intellegitur ex Taciti ann. V, 4; quo loco hominum concursus depingitur factus anno 29 ab Agrippina eiusque factione.

Nec vero modo de Agrippina vera Velleius tradidit, sed etiam de Nerone, filio eius. Quem in amore Tiberio fuisse ex rebus et a Suetonio (Tib. 54) et a Tacito (ann. III, 29; IV, 8. 12. 15) redditis cognoscitur. Sed eodem modo se gessit quo mater, conviciis Tiberium consectatus; cf. Tac. ann. IV, 59—60: «*interdum voces procedebant contumaces et inconsultae*»; cf. ann. V, 4; Suet. Tib. 54. Quo loco quam invisum Tiberium habuerint Tacitus atque Suetonius, quantopere faverint Neroni, satis potest cognosci. Uterque enim, quamquam Tiberius, cum honores quosdam iuveni tribui vetaret, nihil aliud nisi quod Augustus fecit (cf. Suet. Aug. 56; Dio 55, 9. 12; 54, 27), tamen illum Neronis honoribus invidisse scribit; cf. Suet. Tib. 54; Tac. ann. IV, 17: «*Tiberius haud umquam domui Germanici mitis*».

Deinceps dicendum est de iis, quae Velleius 130, 5 narrat de Livia, Tiberii matre. Nam, cum Tiberium aegritudine affectum esse reddit matris morte, neque cum Suetonio con-

sentit neque cum Tacito neque cum Dione. Qui Liviam Tiberio invisam fuisse contendunt, quod honores quosdam a senatu populoque Romano Liviae deferri vetuerit (Suet. Tib. 50—51; Tac. ann. I, 14; V, 2; Dio 57, 12; 58, 2) neque, quo tempore mater e vita decessisset, cura rei publicae abstinuerit (Suet. Tib. 50—51; ann. V, 2; Dio 58, 2). Sed Tiberium mortuis propinquis curam rei publicae non modo non abicere solitum esse, verum etiam remedio ea usum esse aegritudinis satis intellegitur ex locis supra allatis. Honores autem Tiberius matri denegavit, quos sibi ipse (cf. p. 30), et Augusti morem secutus est, cum nimiis honoribus propinquos affici vetaret; cf. Suet. Aug. 56; Dio 55, 9. 12. Neque «*sincera*» illa «*concordia*», quae erat inter Liviam Tiberiumque anno 22 p. Chr. n. (Tac. ann. III, 64), umquam est disiuncta; nam «*inveteratum Tiberio*» fuisse «*erga matrem obsequium neque quemquam auctoritati parentis anteiisse*» Tacitus ipse testis est (ann. V, 3). Utrum autem Tiberius Capreas se contulerit «*matris impotentia extrusus*», id quod Tacitus scribit ann. IV, 57 et Suetonius Tib. 51 et Dio 57, 12, necne, in medio hoc loco relinquam; non enim impietas ei crimini dari potest propterea quod Roma decessit, ne cum matre discordaret. Porro Velleius, cum Liviam «*eminentissimam et per omnia diis quam hominibus similiorem feminam*» fuisse scribit, cum Tacito consentit, qui insignem mulierem eam fuisse confirmat ann. V, 1. Neque quod cum diis scriptor eam comparat, imminuitur fides; etenim eiusmodi dictiones frequentius obvias non proprie intellegendas esse apparet; cf. p. 15. Ceterum non maioribus laudibus Liviam ornat, quam ornavit eam senatus populusque Romanus; cf. Suet. Tib. 50—51; Tac. ann. I, 4; V, 2; Dio 57, 12; 58, 2. Verba denique Vellei: *cuius potentiam nemo sensit nisi aut levatione periculi aut accessione dignitatis*» iusta esse ac vera probatur cum Suetoni Tib. 50 et Taciti ann. IV, 71; V, 3 et Dionis 58, 2 tum sermone, quem Liviam anno 4 p. Chr. n. cum Augusto habuisse scribit Dio 55, 14—22. Potentiam Liviae, si quisquam, Tiberius graviter tulit; cf. Suet. l. l.; Tac. ann. II, 34; III, 17 sq.: «*pudore absolutae Plancinae*»; IV, 57; Dio 57, 12. Nec vero eius erga

matrem pietas eo imminuta est; cf. Tac. ann. II, 34. Neque intellegitur, quo iure Tacitus I, 10 rumores reddiderit, quibus Livia arguebatur «*gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum noverca*» fuisse. Quo loco scriptor verba videtur retulisse auctoris illius, qui, cum invisos haberet Tiberium eiusque gentem, caros Iulios, rumores quoque diligenter conquisivit memoriaeque prodidit, quibus sex hominum neces Liviae adiudicantur. Itaque ea auctor fuisse dicebatur mortis: M. Claudii Marcelli (a. 23 a. Chr. n.; cf. Dio 53, 33), C. et L. Caesarum (a. 2 et 4 p. Chr. n.; cf. Dio 55, 10 a; Tac. ann. I, 3; IV, 71), Augusti (a. 14; cf. Dio 56, 30; Tac. ann. I, 5), Agrippae Postumi (a. 14; cf. Suet. Tib. 22; Tac. ann. I, 6; Dio 57, 3), Germanici (a. 19; Tac. II, 77). Quibus rumoribus num fides habenda sit, supervacaneum est examinare; cf. p. 23.

Restat, ut, quid quo modo de Germanico Velleius commemorarit, examinemus. Atque suo iure eum 129, 2 «*imbutum rudimentis militiae cum Tiberio actae*» appellat; nam Germanicus disciplina militiae institui coepit sub imperio Tiberii anno 7 p. Chr. n. in Pannonia; cf. Dio 55, 31; 56, 12. «*Magna*» autem «*in bello Dalmatico experimenta virtutis in incultos ac difficiles locos praemissum Germanicum dedisse*», id quod Velleius scribit 116, 1, testis est etiam Dio 56, 11. 15. 17. Porro quod 123, 1 Germanicum paulo ante Augustum mortuum in Germaniam missum esse reddit «*reliqua belli patraturum*», et cum Suetonio consentit (Calig. 1. 8) et cum Dione. Qui Germanicum praefuisse Germaniae scribit consulatu a. 12 administrato i. e. a. 13; cf. 56, 25; 57, 3. Neque reprehendendus est scriptor in eo, quod Germanicum anno 11 in Germania pugnavisse, id quod Dio narrat 56, 25, non commemorat; nam sub Tiberii imperio Germanicus tum pugnavit. Quo modo in seditione militum, quae erat in Germania a. 14, restinguenda Germanicus se gesserit, porro Velleius commemorat 125, 4. Vera autem esse ea, quae scribit, intellegitur cum ex Suetonii Tib. 25, Dionis 57, 5, Taciti I, 31—45 tum ex huius ann. I, 36—37 et I, 40. Ac ne ille quidem locus est neglegendus, quo Germa-

nicus «*domitor*» appellatur «*Germaniae*» (129, 2). Quibus verbis eandem ei laudem ob res in Germania gestas Velleius tribuit quam Tiberio (cf. p. 17). Quod quo iure fecerit, cognoscitur ex Taciti I, 50—51. 55—71; II, 5—26 et Dionis 57, 18 et Suetonii Calig. 1. Namque Germanicus, cum annis 14—16 bellum in Germania gereret, in interiorem terram penetravit et variis proeliis factis, quamquam magna cepit detrimenta, tamen victor semper erat.

Etiam quae deinceps leguntur verba 129, 2: «*quibus iuventam eius exaggeravit honoribus respondente cultu triumphi rerum quas gesserat magnitudini!*», iusta sunt ac vera; etenim summis honoribus Germanicum a Tiberio auctum esse comprobat Tacitus. Ita anno quinto decimo triumpho illi decreto (ann. I, 55) nomen accepit imperatoris (ann. I, 58), anno sexto decimo «*ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici*» arcus dicatur (ann. II, 41), septimo decimo splendidissimum triumphum egit Germaniae (ann. II, 41; cf. Suet. Calig. 1) et «*Tiberius nomine Germanici trecenos plebi sestertios viritim dedit seque collegam consulatui eius destinavit* (ann. II, 42). Neque minus vera sunt verba Vellei 129, 3: «*quanto cum honore Germanicum suum in transmarinas misit provincias!*»; nam confirmantur a Tacito ann. II, 43: «*tunc decreto patrum permissae Germanico provinciae, quae mari dividuntur, maiusque imperium, quoquo adisset, quam iis, qui sorte aut missu principis obtinerent*». Sed discrepat, cum 130, 3 morte Germanici Tiberium dolore affectum esse scribit, et a Suetonio (Tib. 52; Calig. 1—2) et a Tacito (ann. I, 33; II, 5. 22. 26. 42. 43 etc.) et a Dione (57, 18). Qui Germanicum Tiberio non modo non carum fuisse affirmant, sed etiam invisum, neque Tiberium doluisse de illius morte, sed laetatum esse; cf. Dio 57, 18: «τοῦ δὲ δὴ Γερμανικοῦ τελευτήσαντος ὁ μὲν Τιβέριος καὶ ἡ Λιουία πάνυ ἥσθησαν. Quae cum ita sint, de ea re uberius disputemus.

Ac primum quidem Dionis descriptio obstare nequit, quominus fidem Velleio habeamus. Nam in ratione quae Tiberio interfuisset cum Germanico, describenda tam iniquum illum fuisse vidimus, ut falsas res memoriae prodere non re-

spueret. Ita Tiberium, nisi Germanicum timuisset, neque anno 14 regnum recusavisse scribit neque annis 14—19 rem publicam bene administravisse. Quod falsum esse supra explicatum est; cf. p. 26 sqq. Praeterea Tiberium anno quarto p. Chr. n. ab Augusto, ut Germanicum adoptaret, coactum esse scribit 55, 13, ne ipsius adoptione insolesceret; cf. Dio 55, 31. Quae Dionis sententia refellitur et ipsius verbis quae sunt 55, 13: κἀκ τούτων ἐπιθαρρήσας (scil. Augustus) ὡς καὶ διαδόχους καὶ βοηθοὺς ἔχων et Taciti ann. I, 3, qui Augustum Germanicum Tiberio adoptandum dedisse scribit «*quo pluribus munimentis insisteret*».

Nec vero maior fides quam Dionis Suetonii descriptioni habenda est. Cuius verba Tib. 52: «*adeo obtrectavit* (scil. Tiberius Germanico), *ut et praeclara facta eius pro supervacuis elevaret et gloriosissimas victorias ceu damnosas rei publicae increparet*» aeque refelluntur rebus (cf. p. 28. 55) atque ea, quae extant Calig. 1: «*ad componendum orientis statum expulsus*»; iisdem enim condicionibus Germanicus a Tiberio in orientem missus est, quibus anno primo p. Chr. n. C. Caesar, qui in summo honore erat Augusto, ab hoc; cf. Tac. ann. II, 4. 43. Quod autem Germanici iter in Aegyptum factum («*cognoscendae antiquitatis causa, sed cura provinciae praetendebatur*»; Tac. ann. II, 59) Tiberius increpuit (Suet. Tib. 52), recte fecit; neque enim quemquam Aegyptum adire licuit nisi principis permissu; cf. Tac. ann. II, 59. Pariter denique Tiberio iniquus atque Dio — adeo ut ipse sibi discrepet — Suetonius invenitur, cum verba scribat haec «*auxit gloriam desideriumque defuncti* (scil. Germanici) *et atrocitas insequentium temporum, cunctis nec temere opinantibus reverentia eius ac metu repressam Tiberii saevitiam, quae mox eruperit*» (Calig. 6).

Reliquum est, ut, quae Tacitus memoriae prodiderit, examinemus. Quem sibi ipsum discrepasse, cum Germanicum in invidia atque odio Tiberio fuisse scriberet, supra explicatum est; cf. p. 27 sq. Similiter autem atque illic se ipse redarguit aliis locis. Ita e Germania Germanicum anno 17 revocatum esse scribit, quod Tiberius rebus ab eo

gestis invidisset et timuisset, ne imperium ille appeteret (ann. II, 5. 22. 26). Sed alias easque iustas fuisse causas, cur Tiberius Germanicum revocaret (cf. ann. II, 26), ex ipsius descriptione satis potest cognosci; nam Germanicus, quamquam magnis proeliis commissis hostes semper fudit fugavitque, tamen commodis rei publicae Romanae non ita consuluit, ut detrimenta quae cepit magna excusaret; cf. Tac. ann. cum I, 55—71 et II, 5—26 tum II, 5 et 24. Porro Tacitus Germanicum a Tiberio in orientem missum esse reddit, ut «*dolo simul et casibus obiectaretur*» (ann. II, 5. 42). Qua in re aeque Tiberio iniquus invenitur atque Suetonius, praesertim cum, quibus rebus Tiberius commotus esset, ut Germanicum in orientem mitteret, ipse reddiderit (ann. II, 43). Sed longum est plura afferre argumenta, quibus iniquum Tacitum fuisse Tiberio demonstretur. Satis perspicuum est ei quoque rationem, quae Tiberio cum Germanico intercesserit, describenti magnam fidem non esse tribuendam.

Porro falsum reddiderunt rumorem et Tacitus et Suetonius, cum auctorem mortis Germanici Tiberium existimatum esse scripserunt (ann. II, 43. 82; III, 16; Suet. Tib. 52). Neque enim Tiberius Germanicum invisum habuit neque sublatum eum cupere potuit, praesertim cum vivo eo Agrippinae aviditas regni coerceretur; cf. p. 51 sq. Quae cum ita sint, auctorem illum Tiberio infestissimum, quo aliis in rebus narrandis eos usos esse supra explicatum est, et Dio et Suetonius et Tacitus hoc quoque loco, quo Tiberium laetatum esse scribunt morte Germanici, secuti videntur esse. Cuius verba sunt ea, quae extant Tac. ann. II, 77: «*est tibi* (scil. Pisoni, qui Germanicum interfecisse dicebatur) *Caesaris favor, sed in occulto*». Nec non eodem usus Tacitus res annis 17—19 gestas, quae ad Germanicum spectant, tam fuse potuit narrare: II, 53—61. 69—84; III, 1—18.

Quoniam quo modo Velleius de Tiberio egerit vidimus et de hominibus vel propinquitatis vel affinitatis vinculis ei coniunctis, in extrema commentatione, quid quo modo scriptor memoriae prodiderit de a l i i s h o m i n i b u s, examinemus. Quod ita instituam, ut primum, verane sint ea quae narrat

quaeram, deinde, quem hominum rerumque commemorandorum habuerit delectum.

Atque M. Lollium *«moderatorem iuventae»* datum esse C. Caesari in orientem misso, id quod Velleius scribit 102, 1, etiam testis est Suetonius Tib. 12. Quae fuerint eius *«perfida et plena subdoli ac versati animi consilia»*, intellegitur ex Plinii hist. nat. IX, 35 *«hic est rapinarum exitus, hoc fuit, qua re M. Lollius infamatus regum muneribus in toto oriente, interdicta amicitia a C. Caesare, Augusti filio, venenum biberet»*. Mors autem Lollii fortuita an voluntaria fuerit, Velleius in medio relinquit. C. Marcium Censorinum quo iure scriptor laudaverit 102, 1, dici non potest; neque enim quidquam de eo memoriae proditum est ab alio scriptore nisi eum anno octavo a. Chr. n. consulatum sibi paravisse largitionibus; cf. Dio 55, 5. Neque magis potest erui, num vera sint, quae de M. Vinicio, avo eius, ad quem historiam misit, Velleius narrat 104, 2, quia alius scriptor ea non commemorat. Suo autem iure Velleius res et a C. Sentio Saturnino annis 4—6 in Germania (Vell. II, 105, 2; 109, 5; 110, 2; Dio 55, 28) et a M. Valerio Messalino, filio Messalae Corvini oratoris, anno 6 p. Chr. n. in Illyrico (Vell. II, 112, 1 sq.; Dio 55, 29 sq.) gestas laudibus effert. Porro quae de A. Caecina Severo Velleius memoriae prodidit 112, 4—6, ea vera esse testis est Dio 55, 32. Plautium autem Silvanum eidem cui Caecinam proelio interfuisse, id quod Velleius scribit 112, 4—6, Dio non commemorat. Attamen hunc quoque in Illyrico pugnasse intellegitur ex Dionis 55, 34. M. deinceps Lepidum a Velleio iure appellari 114, 5 *«virum nomini ac fortunae Caesarum proximum»* ex iis patet, quae Nipperdey adnotavit ad Taciti ann. III, 72. Neque mentitur scriptor, cum eum bonum ducem in bello Illyrico gerendo se praestitisse scribit 114, 5 et 115, 2; nam verum id esse testatur Dio 56, 12. Quae Velleius reddit 125, 5, nullus alius scriptor nos docet. L. Rufum Passienum nonnullis annis ante annum decimum ornamenta triumphalia in Africa meritum esse cum narrat 116, 2, de ea re apud alios scriptores nihil traditur. Cn. autem Cornelium Len-

tulum Cossum anno sexto p. Chr. n. et triumphalia signa adeptum esse et cognomen Gaetulici, quod Velleius narrat 116, 2, testis est etiam Dio 55, 28. Cuius honoris testimonium erat cognomen filii, qui appellabatur «*Gaetulicus*»; cf. Nipp. adn. ad Tac. ann. IV, 42. Deinde quod Velleius narrat 116, 2 C. Vibium Postumum prospere cum Dalmatis pugnavisse ut confirmat Dio 56, 15, ita L. Apronium ducem strenuum fuisse et ornamenta triumphalia adeptum esse, quod ille reddit 116, 3, confirmat Tacitus ann. I, 72. Quae de Aelio Lamia facta sunt verba 116, 3, ea probantur Taciti ann. IV, 13 et VI, 27. A. Licinum Nervam Silianum scriptor collaudat 116, 4. Nec vero quas res ab eo gestas Velleius hoc loco commemorarit, potest cognosci, quippe cum locus mutilus sit. Quo de viro alii scriptores nihil memoriae prodiderunt nisi consulem eum fuisse anno septimo p. Chr. n.; cf. Dio 55, 30.

Iam ad ea aggrediamur, quae leguntur Vell. II, 117—119 de P. Quintilio Varo eiusque rebus in Germania gestis. Atque iusta ac vera esse Vellei verba videmus; nam detrimenta Romanos tum cepisse magna (117, 1; 119, 1) comprobant Suetonius (Aug. 23; Tib. 17) et Dio (56, 23); praeferendam autem esse universam illius descriptionem Dioni ostenderunt Ranke III, p. 25—27 et Helbing p. 77. Neque inique scriptor Varum obiurgavit 117, 2—4 et 120, 5; etenim ut cladem Varianam «*temeritate ac neglegentia ducis accidisse*» intellegitur ex Suetoni verbis Tib. 18, ita pecuniae eum avidum fuisse, quamquam quo modo Syriam administraverit, praeter Velleium nemo nos docet, tamen ex iis potest cognosci, quae narrat Dio 56, 18.

Porro Velleius 119, 4 L. Eggium effert laudibus, Ceioni autem et Valae Numonii increpat ignaviam. Quae quo iure fecerit, examinari non potest, quia alius scriptor de his viris nihil memoriae prodidit.

L. Noni Asprenatis virtutem dignam esse, quae laudetur a Velleio 120, 3, patet ex Dionis 56, 32; moveritne autem iure scriptor eam quam commemorat suspicionem, in incerto relinquendum est, quippe cum ab aliis scriptoribus

nihil de ea re sit traditum. Eadem de causa neque in ea potest inquiri, quae de L. Caedicio Velleius 120, 4, neque in ea quae de Caldo Caelio 120, 6 magnis cum laudibus narrat. Confirmantur vero a Tacito verba, quibus scriptor celebrat 125, 5 Q. Iunium Blaesum. Qui quid in seditione militum componenda egerit, memoriae proditum est ann. I, 18 sqq. (cf. Dio 57, 4), quid in Africa, ann. III, 72—74, quos adeptus sit honores, ibidem; cf. ann. III, 72: «*res Blaesi dignae decore tali fuere*». Neque falsa videntur esse ea, quae Velleius 125, 5 memoriae prodidit de P. Cornelio Dolabella. Quem legatum propraetore Dalmatiae anno 14 p. Chr. n. fuisse constat; cf. Nipp. adn. ad Tac. ann. III, 47. Fortem autem ducem eum se praestitisse et virum «*simplicitatis generosissimae*» testis est etiam Tacitus ann. IV, 22—26 et III, 69. Qui iniquus ei invenitur cum ann. III, 47. 69; IV, 23 adulatorem appellat eum, quem non modo non carum Tiberio fuisse dicas, sed etiam invisum, si res respexeris a Tacito ann. III, 47. 69; IV, 26 relatas.

Porro cum Pomponium Flaccum permultum ad Rhascupolim opprimendum valuisse Velleius scribit 129, 1, consentit cum Tacito; cf. ann. II, 66—67. Quo iure laudaverit eius mores, non potest examinari, quia alius scriptor de iis nos non edocuit. Certe quae Suetonius de Pomponio memoriae prodidit Tib. 42, non obstant, ne fidem Velleio tribuamus; cf. p. 43.

Deinceps Velleius 130, 3 Drusum Libonem «*scelerata consilia iniisse*» tradit. Quod ita se habuisse et verbis probatur, quae facit Suetonius Tib. 25, et rebus, quas narrat Tacitus II, 30 sqq.; iniquae autem sunt descriptiones et Taciti II, 27—31 et Dionis 57, 15.

Atque ut omittam ea, quae de C. Silio et de Pisone Velleius memoriae prodidit 130, 3, quia corrupta sunt verba scriptoris quibus eorum fecit mentionem, iam ad ea aggrediar, quae sunt 127—128 de L. Aelio Seiano. Quae quidem ita tractabo, ut neglectis iis, quae de Seiani gente scriptor fecit, verbis (127, 3) primum, quae de forma corporis et de ingenio

referuntur, considerem, deinde, quae de labore operaque consumptis in re publica administranda, tum, quae de «*virtutum aestimatione*».

Neque ficta sunt ea, quae de Seiani forma atque ingenio Velleius praedicat (127, 3—4); confirmantur enim a Tacito (ann. IV, 1), quamvis huius verba atque illius specie inter se non congruant. Quod ut illustrem, utriusque verba exscribam:

| (Vell. 127, 3—4) | (Tac. ann. IV, 1) |
|---|---|
| «*ipsum vero* (scil. Seianum) *laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis . . . virum severitatis laetissimae, hilaritatis priscae, actu otiosis simillimum nihil sibi vindicantem eoque adsequentem omnia, semperque infra aliorum aestimationes se metientem, vultu vitaque tranquillum, animo exsomnem*». | «*corpus* (scil. Seiano) *laborum tolerans, animum audacem . . .*» «*Seianus sui obtegens, in alios criminator; iuxta adulatio et superbia, palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido, eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud minus noxiae, quotiens parando regno finguntur*». |

Discrepantia igitur extat inter Tacitum et Velleium non rerum sed verborum et iudiciorum. Quod mirum non est. Namque hic Seianum depinxit, qualis publice conspiciebatur usque ad annum undetricesimum p. Chr. n., neque Drusum, Tiberii filium, ab eo veneno occisum esse cognovit (Suet. Tib. 62; Tac. ann. IV, 8; Dio 57, 22; 58. 11) neque Agrippinam, uxorem Germanici, eiusque filios in Tiberium incitatos, ut ipsi se perderent (Suet. Tib. 55. 61; Tac. ann. IV, 54. 59 sqq.). Ille autem imaginem Seiani depinxit, qualis erat usque ad interitum (anno tricesimo primo p. Chr. n.) vel dicam qualis post mortem inhaesit memoriae civium; nam et Drusum ab eo interfectum et Agrippinam eiusque filios conturbatos esse compertum habuit; praeterea vel ipse odio arsit Seiani, hominis novi (cf. ann. III, 29; IV, 3 «*municipali adultero*») vel auctore usus est ab eo alieno (ita Seianum Agrippinae eiusque liberis institisse scribit,

non Agrippinam Seiano; cf. ann. IV, 39: «*satis aestimare firmari domum adversum iniquas Agrippinae offensiones*». Unde factum est, ut Tacitus severum Seianum appellaret tectum, eius capax ingenium nominaret audax, iuxta modestiam eius atque industriam collocaret adulationem et regni aviditatem.

Qua de regnandi cupiditate quid sit iudicandum, breviter explicare necesse est. Atque Tacitus Seianum in omnibus rebus gerendis ductum esse memoriae prodidit «*libidine summa adipiscendi*», quam «*intus*» tulisset. Itaque ann. III, 29 «*suspectum iam nimiae spei*» eum appellat et IV, 2 eum, ut regnum sibi pararet, cohortes per urbem dispersas una in castra conduxisse tradit et IV, 3. 7. 8 Drusum ab eo esse interfectum. Sed utrum regnum Seianus petiverit ante Drusum mortuum necne, in medio relinquendum esse puto. Fieri enim potuit, ut Seianus, cum regnandi esset avidus, Druso venenum daret; namque alapa a Druso ei ducta (ann. IV, 3) impelli potuit, ut et consilium illius interficiendi caperet et, postquam in Livillae familiaritatem atque consuetudinem se insinuavit, imperii. Nec vero, num regnum petiverit ante alapam a Druso ei ductam, ullo modo potest cognosci. Mortuo Druso Seianum regnum appetivisse non nego. Etenim, ut omittam locos illos quibus Suetonius (Tib. 65), Tacitus, Dio (58, 4 sqq.) eum principatus cupidum fuisse tradunt, Livillam, quae Drusi erat uxor, sibi expetivit; cf. Tac. ann. IV, 39 sqq. Qua re non modo eum una cum Livilla Druso venenum dedisse confirmatur, sed etiam apparet eum hac condicione Tiberii domui se adiungere voluisse, ut eo mortuo imperium sibi vindicaret. Namque Tiberius Caesar senex erat et carebat filiis; Tiberius autem, nepos eius ex Druso filio, erat infans; filii denique Germanici demoveri potuerunt propter inimicitias, quae eorum matri cum Tiberio erant. Quae sententia non modo non refellitur, sed etiam confirmatur iis, quae Tacitus narrat ann. IV, 59; nam Seianus pro Tiberio Capreis vitae periculum subiit corruente muro, ut ipse esset salvus: Quo tempore si Tiberius mortuus esset, et dignitate sua Seianus privatus esset et omnem imperii spem perdidisset. Namque auctoritati eius, quamquam ipsum

adulabantur, tamen multi invidebant Romani (cf. Tac. ann. IV, 74; Dio 58, 5. 11), Germanici autem stirps vigebat illo tempore et gratiosissima erat apud multos (cf. Tac. ann. V, 4; qua re Tiberius, cum Seianum opprimeret a. 31, Drusum, Germanici filium, successorem sibi destinavit, si futurum esset, ut Seianus alio modo opprimi non posset; cf. Tac. ann. VI, 23; Dio 58, 13). Itaque Nero, Germanici ex Agrippina filius, Tiberio successisset, si Tiberius illo tempore mortuus esset, non Seianus. Quam ob rem hic ne in discrimine quidem anni 31 vim adhibere ausus est; cf. Dio 58, 8.

Satis igitur Seianum post mortem Drusi principatum affectasse apparet, sed eruendum quoque est, id quod gravissimum est, utrum ignarus fuerit Velleius aviditatis illius imperandi nec ne. Neque eum Seiani «*libidinem summa adipiscendi*» cognovisse verisimile est. Non enim ante Seiani interitum fuisse, qui vel cupiditatem eius cognoscerent vel crimini ei darent, ex Taciti aliorumque scriptis patet (cf. p. 64).

Quoniam iusta ac vera esse vidimus ea, quae de Seiani corpore atque ingenio Velleius memoriae prodidit, iam porro verba examinemus, quae sunt 127, 3: «*singularem principalium onerum adiutorem in omnia habuit atque habet* (scil. Seianum Tiberius)». Atque adiutum Tiberium rem publicam administrantem esse a Seiano testis est Tacitus ann. IV, 2: «*facili Tiberio atque ita prono, ut socium laborum non modo in sermonibus, sed apud patres et populum celebraret colique per theatra et fora effigies eius interque principia legionum sineret*». Quaerendum autem est quo modo Seianus eum adiuverit. Neque enim Tacitus res ab eo gestas laudat. Quin etiam compluribus locis in eum invehitur (ann. I, 69; III, 29. 35; IV, 8. 12. 17. 18. 54 etc.) et IV, 12 «*ferocem scelerum*» eum appellat et IV, 68 scribit haec: «*Seiani voluntas non nisi scelere quaerebatur*». At is alienus fuit a Seiano. Quid quod ipse Seianum usque ad annum 23 bonum se praestitisse scribit ann. IV, 7: «*incipiente adhuc potentia bonis consiliis notescere volebat*» (scil. Seianus)! Neque res affert, quibus Seianum

post annum 23 auctorem Tiberio extitisse demonstret rei publicae male administrandae, nisi ab eo et Tiberium redditum esse Agrippinae eiusque filiis infestum (I, 69) et hos vexatos, ut ipsi se perderent (IV, 12. 54. 60. 67). Qua in re non omnis fides Tacito deneganda videtur esse. Etenim Seianus, quamquam Agrippinam ipsam Tiberio inimicissimam ab eo incitatam esse verisimile non est, tamen filios eius impellere potuit ad res, quibus Tiberii voluntatem a se alienarent. Sed hoc fecit regnandi cupiditate adductus (inde ab anno 23). Neque auctor fuit Tiberius neque conscius et in errore videntur versari ii, qui Suetonium secuti (Tib. 55) Seianum filiis Germanici perniciem paravisse putant Tiberii iussu. Neque enim Tacitus Tiberii castigandi studiosissimus id dignum esse arbitratus est, quod memoriae proderetur. Praeterea verisimile non est Seianum, virum ingeniosissimum, se sic abutendum Tiberio permisisse, neque, eum accusatum esse a Tiberio sceleris cuius hic fuisset auctor. Quo modo verba illa Tiberii illustrantur, quae sunt apud Suetonium Tib. 61: «*Seianum se punisse, quod comperisset furere adversus liberos Germanici filii sui*». Seianus igitur alienationem disiunctionemque, quae intercessit Agrippinae eiusque liberis cum Tiberio, augere studebat. Neque modo Tiberius Seianum, cum regnum peteret inde ab anno 23, immutatum esse nesciit anno 29, sed etiam omnes fere Romani, in quibus Velleius. Quod ita se habere cognoscitur et ex laude gratiaque, in quibus Seianus erat cum Tiberio populoque Romano, et ex eo, quod ante annum 31 nemo, qualis Seianus vere esset, intellexit; nam inopinatae atque improvisae res acciderunt anno 31; cf. Tac. ann. VI, 8; Iuvenal. sat. X, 56 sqq.; Suet. Tib. 65; Dio 58, 4 sqq.

Iusta igitur ac vera sunt verba, quae de Seiani ingenio moribusque et de rebus ab eo gestis fecit Velleius. Restat, ut, id quod tertium erat propositum, consideremus ea, quae de Seiani scripsit «*aestimatione*». Atque verba sunt haec (128, 1): «*in huius* (scil. Seiani) *virtutum aestimatione iam pridem iudicia civitatis cum iudiciis principis certant*». Suo autem iure Velleium ea scripsisse confirmatur et a Tacito ann. III,

35. 66. 72; IV, 2. 3. 7. 40. 68. 74 et a Suetonio Tib. 65 et a Dione 57, 19. 21; 58, 2. 4; nam summam Seianus habuit auctoritatem eo tempore quo scripsit Velleius.

Examinatis iis quae de viris Velleius memoriae prodidit neque propinquitatis neque affinitatis vinculis Tiberio coniunctis, breviter quem habuerit delectum hominum rerumque ab iis gestarum, consideremus. Neque enim defuere, qui probare studerent eum nimia in homines quosdam observantia ductum persaepe virorum mentionem non fecisse nisi laudandi aut castigandi causa. Quibus in viris doctis nominandi sunt Abraham (p. 8 sqq.) et Stanger (p. 22 sq.). Quorum hic Velleium homines et laudasse et vituperasse contendit Tiberii gratia. Ille autem eum non modo Tiberio favisse scribit, sed etiam gregi cuidam virorum, in quibus emineret Cotta Messallinus.

Quae quo modo sint age consideremus.

Neque Velleium Tiberio plus aequo favisse potest concedi. Etenim nonnullos scriptor viros laudibus effert, quos Tiberii partium non fuisse constat. Ita, ut omittam eos, quorum scriptor mentionem facit ante II, 101, C. Sentii Saturnini res gestas celebrat, quem amicum Germanici atque Agrippinae fuisse Tacitus nos docet ann. II, 74. 79, et P. Cornelium Dolabellum (cf. p. 60) et Aelium Lamiam; cf. Tac. ann. VI, 27. Nec vero modo viros apud Tiberium non gratiosos laudat, sed etiam increpat vel omittit Tiberio caros. Ita Manium Lepidum non nominat, virum «*gravem ac sapientem*», qui «*aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium vigebat*» (cf. Tac. ann. IV, 20), neque Cn. Cornelium Lentulum, virum praeclarum, qui Tiberii amicus appellatur a Tacito IV, 29, neque alios. L. autem Noni Asprenatis laudi, quamquam is fuit Tiberio non invisus (Tac. ann. I, 53; III, 18), tamen obtrectat (cf. p. 59).

Sed de illa quoque sententia, quam tulit Abraham, decedam. Atque in medio relinquendum esse puto, utrum Velleius in historia sua componenda faverit certo cuidam gregi hominum, necne. Non enim rerum, quas, quibus homines depingeret, memoriae prodidit, delectum bene instituit, sed nonnumquam

effecit, cum alia narraret alia omitteret, ut hominum imagines exprimeret a veritate recedentes. Quod ut illustrem, A. Caecinae Severi mentionem faciam et Plauti Silvani; de utroque Velleius, quamquam ii bonos duces se praestiterunt atque etiam triumphalia insignia meruerunt (cf. Dio 55, 29; Tac. ann. I, 56. 60. 61. 63—68. 72; Dio 56, 12; Suet. Tib. 20), tamen ita commemorat, ut inutiles eos duces fuisse credas. Nec tamen ex ea re Velleium ambitiose scripsisse potest concludi. Quod ita se habere variis probatur argumentis. Atque primum quidem Velleium propterea quod Ciceronem (II, 66), M. Brutum (II, 69), C. Asinium Pollionem (II, 63, 3; 76, 2; 128, 3) summis laudibus extulisset, M. Antonium (II, 60 sqq.), Q. Dellium (II, 84, 2), L. Munatium Plancum (II, 63, 3; 64, 1; 67, 3; 83; 95, 3) castigasset, Messallino eiusque amicis favisse, id quod Abraham affirmat p. 13, nego. Unde nihil aliud potest cognosci nisi Velleium in rebus, quae sunt inde a II, 49 usque ad II, 90, describendis Messalla auctore usum esse (cf. p. 4). Ex hominibus autem, quorum scriptor mentionem facit inde a II, 101, Abraham nullum potest nominare, ut sententiam suam probet, nisi L. Nonium Asprenatem. Cui quae ratio intercesserit cum Messallis, certo erui nequit ex iis locis quos affert Abraham (Tac. ann. I, 53; III, 18).

Inania igitur sunt argumenta, quibus Abraham sententiam suam defendit. Sed aliae quoque rationes possunt afferri, quibus huc usque non esse probatum illustretur Velleium scripsisse ambitiose. Ex duodetriginta enim viris, quos nominat, undecim iisdem temporibus in iisdem regionibus versati sunt in quibus ipse. Ita M. Lollius et Censorinus annis 1—2 in oriente erant, C. Sentius Saturninus annis 4—6 in Germania, Messallinus, Caecina, Plautius Silvanus, M. Lepidus, Vibius Postumus, L. Apronius, Aelius Lamia, A. Licinius Nerva Silianus annis 6—9 in Illyrico. Septem autem virorum Velleius mentionem facit, cum cladem Varianam narrat: Vari, L. Eggii, Ceioni, Valae Numonii, L. Asprenatis, L. Caedicii, Caldi Caelii. De compluribus igitur scriptor videtur commemorasse ut commilito. Reliquos autem viros nominavit

varias ob causas. Atque M. Vinici virtutem laudavit, cum transiret ad bellum describendum annis 4—6 in Germania gestum. Passieni autem et Cossi mentionem fecit, qui eodem fere tempore quo Vibius Postumus in Germania, in Africa triumphalia signa meruissent. Blaesum deinceps et Dolabellam laudavit, cum seditiones commemoraret anno 14 a militibus factas. Seiani denique, Pomponi Flacci, Drusi Libonis, C. Silii, Pisonis scriptor mentionem fecit in imagine exprimenda rerum inde ab anno 14 usque ad a. 29 gestarum. Quorum virorum, si consideraverimus, extra rerum ordinem a Velleio nominatos esse videbimus nullos nisi Passienum et Cossum. Quod qua re factum sit, non intellegimus, quia quae iis cum Messallino intercesserit ratio, non compertum habemus. Neque scriptor, dum vera reddit, reprehendi potest in eo, quod omnium non eodem modo studiosus est, praesertim cum ut aequalis hominum neque ingenia neque facta tam bene aestimare potuerit quam posteri. Vera autem Velleium memoriae prodidisse vidimus. Atque etiam minus ambitiose scripsit quam Tacitus, qui multis annis post annales suos conscripsit «*sine ira et studio*» res reddere gloriatus. Ad extremum, id quod gravissimum est, Velleius tanta cum festinatione historiam composuit, ut rerum vel hominum commemorandorum delectum magna cum diligentia instituere nequaquam posset (cf. p. 3 sq.). Quo modo factum est, ut res a M. Vinicio anno primo p. Chr. n. in Germania mediocriter gestas commemoraret (cf. p. 58), praeclarissima autem facta avunculi eius, quae memoriae prodidit Dio 53, 26, omitteret. Atque eadem de causa oblitus est commemorare et C. Sentii Saturnini ornamenta triumphalia (Dio 55, 28) et Plauti Silvani et A. Caecinae Severi (cf. p. 66). [Quem Agrippinae familiarem fuisse ex iis locis quos affert Abraham, non conficitur; quin etiam in Tiberii gratiam loquentem eum facit Tacitus ann. III, 18.] Neque Seianum «*rectorem*» Druso in componenda seditione militum anno 14 adfuisse scribit, id quod Tacitus reddit ann. I, 24, sed solum Blaesum «*singularem Drusi adiutorem*» appellat.

Satis igitur verisimile non esse apparet Velleium consilio ac ratione rerum delectum ita habuisse, ut, cum alia commemoraret alia omitteret, homines aut laudaret aut castigaret. Neque nimium inest pondus verbis eius, quae extant II, 116, 5: «*horum virorum mentioni si quis quaesisse me dicet locum, fatentem arguet; neque enim iustus sine mendacio candor apud bonos crimini est*», quippe quae scripta sint temere atque inconsulte.

# Adnotationes.


1. Helbing: *Velleius Paterculus,* Dissert. Rostock. 1888. — W. S. Teuffel: *Geschichte der römischen Litteratur,* neu bearbeitet von L. Schwabe II$^5$. (1890.)
2. P. Kaiser: *de fontibus Vellei Pat.,* dissert. Berolin. 1884.
3. *M. Velleius Paterculus,* ed. Kritz. Lips. 1840.
4. Schweizer. Museum I. (1837.)
5. Oppen: *de M. Velleio Pat.,* dissert. Rostock. 1875. — Georges: *de elocutione M. Vellei Pat.,* dissert. Lips. 1877.
6. M. Thamm: *de fontibus ad Tiberii historiam pertinentibus,* dissert. Hal.-Sax. 1874.
7. Morgenstern: *commentatio critica de fide historica Vellei Pat.* in editione Krausiana. (1800.) — Pernices: *de Vellei Pat. fide historica,* commentatio, Lips. 1862. — Stanger: *de M. Vellei Pat. fide commentatio,* dissert. inaug. Monachi. 1863. — Goeke: *de Velleiana Tiberii imagine,* dissert. Jenae. 1876. — Abraham: *Velleius und die Parteien in Rom unter Tiberius.* Programm Berlin 1885.
8. Sievers: *Studien zur Geschichte der römischen Kaiser.* Berlin. 1870. — Ad. Stahr: *Tiberius.* Berlin 1863. — H. Reichau: *de fontium delectu, quem in Tiberii vita moribusque describendis Velleius, Tacitus, Dio habuerint,* dissert. Regimont. 1865. — L. v. Ranke: *Weltgeschichte* III$^3$. (1883.)
9. *M. Velleius Pat.,* ed. Krause. Lips. 1800.
10. W. Horstmann: *Über die Quellen des Tacitus in den ersten 6 Büchern der Annalen,* Dissert. Marburg. 1877.
11. J. Froitzheim: *de Taciti fontibus in libro I annalium,* dissert. Bonn. 1873.
12. Sickel: *de fontibus Cassii Dionis,* dissert. Gotting. 1876.
13. Karsten: *de Taciti fide in sex prioribus libris annalium,* commentatio, 1868.
14. Hoffmann: *de Taciti annalibus et historiis capita duo,* dissert. Berolin. 1878.
15. Rheinisches Museum, 26, p. 508 sqq. (1871.)
16. Schiller: *Geschichte der römischen Kaiserzeit I.*

# Vita.

Franciscus Faust natus sum Buerstadtii anno 1868 pridie Calendas Apriles patre Henrico et matre Anna e gente Brechenser. Fidei addictus sum catholicae.

Paulo post quam inter discipulos gymnasii Benshemiensis receptus sum annos novem natus summo dolore affectus sum eo quod pater optimus de vita decessit. Inde a vere anni 1886 maturitatis testimonio munitus studiis philologicis operam dedi. Atque primum quidem per duos annos Monachii et Berolini civium academicorum numero adscriptus scholas frequentavi et simul per unum annum stipendia merui. Deinde Gissam me contuli ibique tam scholis interfui quam exercitationibus seminariorum et philologici et historici. Facultatem docendi adeptus inde a mense Martio anni 1891 seminario paedagogico, quod est Darmstadti, sodalis intersum.

Praeceptoribus meis, viris doctissimis, gratias ago quam maximas, imprimis Onckenio, Philippio, **Schmidtio.**

Typis C. F. Winteri, Darmstadti.